HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ERRA

Mediolanensi Congregationis Clericorum Regularium MATRIS DEI.

TOMUS QUINTUS.

AB ANTIOCHI EPIPHANIS PERSECUTIONE USQUE AD JUDÆORUM PER TITUM DISPERSIONEM.

VENETIIS MDCCLX.

APUD SIMONEM OCCHI

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

TABULA
CHRONOLOGICA
in Tomum quintum.

Anno Mundi		Ante Christum
3829	Antiochus Epiphanes Syriæ Regnum occupat; a quo Jaſon, deturbato Onia III. ſummum Pontificatum obtinet. Judæorum plures ritus prophanos adoptant.	171
3832	Ejecto Jaſone Menelaus Pontificatu potitur, per cujus Vicarium Lyſimachum Onias III. occiditur.	168
3834	Antiochus, poſt occupatam Ægyptum, in Judæos ſævit, & Templum diripit.	166
3836	Judas Machabæus in deſertum ſecedit, & Sacrificia Hieroſolymis ceſſant. Eleazari, & ſeptem Fratrum Martyrium.	164
3837	Mathathias, Hieroſolymis fugiens, Apoſtatas a Lege perſequitur.	163
3838	Judas Mathathiam Patrem excipiens, de Apollonio, Serone, Nicanore, Timotheo, Bacchide, & Lyſia victorias refert.	162
3840	Templum per Judam expiatur. Antiocho Epiphani, in Perſide miſerabili letho abſumpto,	160

A.M.		A.Chr.
	Antiochus Eupator succedit. Inter Philippum & Lysiam Regni administratores turbæ.	
3841	Pax inter Judam & Eupatorem conciliatur. Hierosolymorum mænia Eupator dejicit.	159
3842	Occiso Menelao Alcimus sufficitur. Demetrius Syriæ Regnum obtinet, qui Nicanorem in Judæam mittit. Fœdus inter Judæos & Romanos.	158
3843	Judas Machabæus in prælio cæditur, cui succedit Jonathas ipsius frater, qui post sublatum a Deo Alcimum summo Pontificatu tandem augetur.	157
3851	Regnum Syriæ per Romanos Alexandro Balæ contra Demetrium asseritur, quorum æmulatio Jonathæ res provehit.	149
3854	Demetrius in prælio cæsus filios Demetrium Nicanorem, & Antiochum Sidetem reliquit. Judæis in Ægypto Templum Onion excitatur. In Templi caussa Samaritani Hierosolymitanis cedunt.	146
3856	Jonathæ de Apollonio victoria.	144
3859	Alexander Bala Rex Syriæ, & Ptolomæus Philometor Rex Ægypti occiduntur. Physcon novus Ægypti Rex in Judæos sævit. Diodotus, qui & Tryphon, in	141

A. M.		A.Chr.
	in Demetrium Syriæ Regem rebellat. Jonathas Demetrii partes tuetur, qui tamen Arcem Hierosolymorum obsidet.	
3860	Antiochus Balæ filius Syriæ Regnum obtinet, ad quem Jonathas inclinat. Innovatur cum Romanis fœdus.	140
3861	Capto per Tryphonem Jonatha, Simon frater illius in Principem eligitur. Sublato Antiocho Balæ filio, libertatem Judæis Demetrius largitur. Hierosolymorum Arx Simoni deditur.	139
3863	Demetrius in Mithridatis potestatem venit; quare Antiochus Sidetes Syriæ Regnum occupat, a quo Simon cudendæ monetæ jus obtinet.	137
3869	Simoni interfecto succedit Joannes Hircanus, qui inita pace cum Antiocho Sidete, ipsum in Persidem sequitur.	131
3874	Occiso Antiocho Sidete, Demetrius Nicanor iterum Regnum assequitur; quo tempore Judæi in perfectam libertatem asseruntur.	126
3875	Idumæi ab Hircano ad Judæorum Sacra adiguntur. Fœdus cum Romanis iterum innovatur.	125
3878	Sublato Demetrio in bello, quod	122

A. M.		A.Chr.
	ei Alexander Zebinas intulit, Seleucus V. filius succedit.	.
3880	Antiochus Gryphus, Philometor etiam dictus, Seleucum fratrem a propria utriusque matre interfectum, excipit.	120
3888	Ptolomæus Lathurus post Physconem regnat in Ægypto; sed deinde expellitur.	112
3890	Antiochus Cyzicenus cum fratre Antiocho Grypho de Syriæ Regno contendit.	110
3894	Hircanus Samariam evertit, sub quo Judæorum Sectæ fervent, ipso tamen Sadducæis maxime addicto.	106
3898	Aristobulus Hircani filius Judæorum res moderatur, cujus jussu Antigonus frater occiditur.	102
3899	Alexander Jannæus fratri succedit, qui a Lathuro vincitur, sed deinde cum Cleopatra illius matre fœdus init.	101
3907	Occiso Antiocho Grypho plures de Syriæ Regno contendunt.	93
3916	Post Cleopatræ necem Lathurus in Ægyptum revocatur.	84
3921	Tigranes Syriæ Regno præficitur.	79
3923	Lathurum in Ægypto excipit Cleopatra, Cleopatram Alexander.	77
3926	Mortuo Alexandro Judæorum Regi Alexandra uxor succedit.	74
3935	Post Alexandrum regnat Aristo bu-	65

A.M.		A.Chr.
	bulus filius, Hircano fratre natu majore invito, cujus partes fovet Antipater, Magni Herodis pater.	
3939	Syriæ Regnum a Pompejo in Provinciam Populi Romani reducitur; quo tempore pulso Alexandro inter Ægyptios Ptolomæus Auletes regnat.	61
3941	Capta Hierosolyma per Pompejum Hircanus Judæis sine regio titulo præficitur, Aristobulus vero victoris triumphum auget.	59
3947	Alexander Aristobuli filius Judæam turbat.	53
3949	Aristobulus fuga elapsus Romam iterum remittitur.	51
3950	Crassus Templum expilat.	50
3955	Obeunti Auleti succedit filius Ptolomæus una cum Cleopatra, quæ tamen e Regno pellitur.	45
3956	Aristobulus & Alexander necantur, hic jussu Pompei ille veneno a Pompei amicis propinato.	44
3959	Occiso Pompejo, Antipater Cæsarem fovet, cujus gratia cum plurimum possit, filios suos Phasaelum & Herodem promovet.	41
3960	Primus Reformationis Julianæ Annus.	40
3964	Cæsare interfecto Antipater Rei-	36

A. M.		A.Chr.
	publicæ partes tuetur, qui juſſu Malichi veneno tollitur.	
3964	Antigonus Ariſtobuli filius, & Hircani nepos, Parthorum favore Regno potitur; ſed Herodes Romæ Judæorum Rex declaratur.	36
3967	Capta Hieroſolyma Antigonus necatur, & Herodes ſecurus regnat, qui Pontificatu ornat primum Ananelum, deinde Ariſtobulum, Mariamnes uxoris ſuæ fratrem.	33
3970	Ariſtobulo necato Ananelus iterum aſſumitur.	30
3974	Herodes, poſt Hircani quondam Judæorum Regis necem, obtinet ab Auguſto, ut in Regno confirmetur. Ægyptus, ſublatis Antonio & Cleopatra, in Provinciam Populi Romani reducitur.	26
3976	Mariamnes juſſu Herodis interficitur. Idem infortunium ſubeunt Alexandra illius mater, & Coſtobarus.	24
3982	Herodes variis ædificiis prophanorum more excitatis, Judæos offendit, ſed Auguſti, & Agrippæ amicitia fruitur.	18
3985	Novi Templi Hieroſolymitani fundamenta ab Herode jaciuntur.	15

He-

A. M.		A.Chr.
3988	Herodes Romam, Augustum salutaturus, contendit.	12
3993	Iterum Romam venit Herodes, filios suos Alexandrum & Aristobulum accusaturus.	7
3996	Archelaus Rex Capadociæ filios Herodi patri conciliat, ac deinde una cum ipso Romam petit.	4
3999	Excitatis novis turbis in Herodis familia, illius jussu Alexander & Aristobulus strangulantur. Antipater alius Herodis filius Regnum affectans Romam mittitur.	1
4000	Jesus Christus nascitur (*a*).	Ante Æram Vulgarē 4
4001	Infantes Bethleemitici occiduntur. Antipater, Roma regressus, & carceri mancipatus, necatur. Herodes post quinque dies ab illius cæde moritur. Archelaus Rex a patre Herode designatus, obtenta ab Augusto paterni Regni portione, una cum Tetrarchæ titulo, Roma, quo se contulerat, in Judæam revertitur.	Ante Æram Vulgarē 3
4010	Amoto a Judæa Archelao, Provincia per Procuratores administratur. Quirinio censum instituenti Judas obsistit. Idem Quirinius Ananum, in Evange-	Anno Æræ Vulgaris 7

ge-

(*a*) Vide hanc Histor. l. 11. c. 5. n. 5. 6. 7. &c.

A. M.		A.Æ.V
	gelio Annam appellatum, Pontificatu ornat.	
4017	Augusto succedit Tiberius, a quo Romæ Ægyptiorum & Judæorum cæremoniæ interdicuntur.	14
4029	Valerius Gratus Josepho, qui & Caiphas, Pontificatum tribuit. Gratum excepit Pontius Pilatus.	26
4033	Jesus Christus neci traditur.	29
4037	Herodes Philippus Tetrarcha obit,	34
4038	L. Vitellius Syriæ Præses Judæos pluribus beneficiis afficit.	35
4040	Pilatus exauctoratur, qui tandem manus sibi infert. Tiberio vita functo, C. Caligula regnat, qui Herodem Agrippam Tetrarchia Philippi patrui sui, & Regis titulo donat.	37
4042	Herodes Antipas Tetrarcha Lugdunum relegatur, cujus dictio Agrippæ conceditur.	39
4044	Philo Judæus apud Caligulam legatione fungitur. Asinæus, & Anilæus florent. Helena Regina Adiabenorum, & Izates ejus filius ad Judæorum Sacra transeunt. Interfecto Caligula Claudius imperat, qui Agrippæ favet.	41
4047	Post S. Jacobi necem, & S. Petri carcerem Agrippa percussus ab	44

An-

A.M.		A.Æ.V
	Angelo moritur. Judæa iterum per Procuratores regitur. Herodes demortui Agrippæ frater, Chalcidis Rex, poteſtatem in Judæorum ſacra obtinet, quo decedente anno 4051. eadem poteſtas Agrippæ juniori affertur.	
4052	Judæa ſub Cumano maxime turbatur; quo fere tempore Judæi Roma expelluntur.	49
4056	Felix Cumano ſufficitur, qui Druſillam Agrippæ ſororem ſibi adſciſcit.	53
4057	Agrippa per Claudium, & Neronem, qui hoc anno ei ſuccedit, ampla dictione augetur.	54
4063	Portius Feſtus Claudio Felici ſufficitur, ſub quo inter Agrippam & Judæos de quoddam Templi muro diſſidium oritur.	60
4065	Albinus Portium Feſtum excipit. S. Jacobi Hieroſolymorum Epiſcopi Martyrium. Excidium Judæorum variis prodigiis portenditur. Nequitia Albini, & Ananiæ quondam ſummi Sacerdotis, Judæorum Reſpublica ad interitum vergit.	62
4067	Albinum excipit Geſſius Florus. Linea veſtis Levitis conceditur.	64
4068	Judæorum cenſus per Ceſtium in-	66

A.M.		A.Æ.V
	ſtitutus. Aperta Judæorum in Romanos rebellio.	
4070	Ceſtius re infecta Hieroſolymorum obſidionem ſolvit. Veſpaſianus in Judæam mittitur, cui poſt Jotapatæ caſum Flavius Joſephus ſe permittit. Judæorum diviſio. Zachariæ interitus.	77
4071	Neroni ſuccedit Galba, Galbæ Otho, & Vitellius.	68
4072	Veſpaſianus ad Imperium evectus bellum Judaicum Tito committit.	69
4073	Poſt Templum incenſum, Hieroſolymam diripiunt Romani.	70
4074	Titus Templum & Urbem funditus everti jubet, qui una cum Patre de Judæis triumphat.	71
4075	Templum Onion in Ægypto clauditur. Veſpaſianus reliquias Davidicæ Domus exquiri jubet.	72
4076	Maſſada expugnata Publius Silva bello Judaico finem imponit.	73

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER NONUS.

LIBER DECIMUS.

H I-

HISTORIA
UTRIUSQUE TESTAMENTI
LIBER NONUS.

Antiochus Epiphanes regnat. Jasonis, Menelai, & Lysimachi impietas. Oniæ III. cædes. Inter Spartiatas & Judæos cognatio. Bella inter Antiochum Epiphanem, & Ptolomæum Philometorem. Antiochus in Judæos sævit, & Templum diripit.

CAP. I.

I. ANtiochus Epiphanes patrem habuit Antiochum Magnum Syriæ Regem, qui bello a Romanis fractus, victoribus inter alios ipsum Antiochum alterum e filiis suis obsidem dedit. Cum Antiochus quatuor ferme & decem annos Romæ commoratus fuisset, regressum in Syriam illi obtinuit Seleucus Philopator frater, filium suum Demetrium substituendo. Eo duce forte Ægypti Regno potiri meditabatur Seleucus, quo Syriæ Regum vota jamdiu collimabant. Verum Seleucus in Heliodoris insidias incidens sublatus est. Heliodorum vero Syriæ Regnum affectantem, & Ptolomæum Philometorem Ægypti Regem idem Regnum invadere conantem, Eumenes & Attalus Reges, alter Bitiniæ, Pergami al-

ANNO MUNDI 3829. ante Christum 171.

Antiochus Epiphanes Syriæ Regnum occupat.

ter, compresserunt, deducto in possessionem illius Antiocho, ut hoc beneficio amicum eum contra Romanos sibi redderent. Atque ita Demetrius Seleuci filius, cui Regnum debebatur, Romæ degens excluditur. Cum igitur Antiochus amicorum ope artes hostium fefellisset, & loco cedere coegisset, hujus rei gratia illi nomen inditum est *Deus Epiphanes*, Deus scilicet, qui apparet; ita enim opportune Roma rediisse creditus est, ac si numen aliquod felix faustumque illuxisset (*a*).

Antiochi insania. II. Plerumque nomen *Epiphanes* vertitur *Illustris*; Antiochum tamen a fanaticis moribus *Epimanem*, sive *Insanum* rectius appellandum censuit Polybius. Regnum namque adeptus frequenter noctu per urbem temere vagabatur, uno aut altero comite adscito; quandoque solus, nexam e rosis coronam capite gestans, & auro textam trabeam indutus. Cum plebeis, & infimæ sortis peregrinis advenisque versabatur, & compotabat. Vinosus autem adeo erat, ut publicas res raro sobrius tractaverit. Nonnumquam dempta veste regia, amictus toga, perinde ac Romæ a Candidatis fieri viderat, salutabat, prehensabatque obvium quemque ex plebe, Magistratum aliquem petens. Magistratum adeptus posita sella eburnea jus dicebat. Nihil vel turpissimum horrebat, ea coram populo cum meretricibus agens, quæ pudicus quisque vel eloqui, vel cogitare vereretur (*b*). Merito igitur a Daniele de illo præ-

(*a*) Appian. in Syriac. p. 116. 117.

(*b*) Vide Usser. ad an. 3829.

prædictum fuerat: *Consurget Rex impudens facie* (*a*). En Judæorum hostis omnium infensissimus, cujus persecutionibus nonnullorum ambitio occasionem præbuit.

III. Jason diuturni Pontificatus fratris sui Oniæ III. pertæsus, Antiochiam ad Regem se contulit, cui trecenta & sexaginta argenti talenta, aliave ex aliis reditibus octoginta, pollicitus est, pro obtinenda summa illa dignitate, & Principatu politico, ei annexo; tum centum & quinquaginta, modo Academiam Hierosolymis sibi condere liceret, ubi juventus cursu, palæstra, disco, arcu, saltu exerceretur; civesque Hierosolymitani jure Antiochenæ civitatis donarentur. Hæc autem pessimo consilio postulabat Jason, quippe qui Judæos sensim ad Ethnicorum mores & ritus deducere meditabatur, ratus una cum aliis ejusdem furfuris viris, mala, quibus Judæi premebantur, non ipsorum criminibus, sed Religioni tribuenda esse. Omnia impetravit Jason, qui Hierosolymam redux Oniam amovit, apertisque locis athleticis exercitationibus aptis, eo rem perduxit, ut plures, maxime ex iis, qui nudi in ludis spectandi erant, sacrum Circumcisionis signum pro viribus deleverint, pietatem studiumque majorum suorum, qui hostes Incircumcisorum nomine notare consueverant, adversati. Neque populus tantum, sed & Sacerdotes id spectabant potissimum, posthabitis sacrificiis, aliisque Templi muneribus, *Jasonis impietas.*

(*a*) Dan. VIII. 23.

ribus, ut proposita certantibus præmia & decora consequerentur (*a*).

Quid Petasus?

IV. Ad complementum malitiæ Jason optimos quosque epheborum in lupanaribus exposuit (*b*). Profecto libidinis locus recte appellaretur, quo adolescentes nudi ad ludos ethnico more celebrandos vocabantur. Cum tamen in textu Græco sit, Jasonem pueros sub *Petaso* ductasse, in varias interpretationes ivere Scriptores. Petasus, sive galerus, insigne erat Bacchi & Mercurii. Censent propterea nonnulli, gymnasium a Jasone apertum, Baccho, vel Mercurio dedicatum fuisse. Alii adolescentulos hujusmodi symbolo prophanæ superstitioni adscriptos malunt. Quidam Petasum honoris tantum causa, seu præmii loco datum volunt. Tandem nonnemo in Petaso *Petaurum* agnoscit, rotam scilicet, per quam Petauristæ corpora contento saltu subjecta levissime trajiciebant, experimentum sane discriminis plenum. Sed omnibus hisce interpretamentis obstat optima probataque Vulgatæ versio, quæ lupanaria præfert.

Jasonis studium Herculi sacrificandi frustratur.

V. Crimen hoc aliud excepit Religioni magis obnoxium. Dum Tyri quinquennalia præsente Antiocho celebrarentur, Jason eo pecuniam misit, qua Herculi clarissimo ejus religionis Numini fierent sacrificia. Hi tamen qui pecuniam detulerunt, quamvis scelesti essent, impiam tamen illius voluntatem aspernati, in regiarum triremium constructionem eam

(*a*) 2. Mach. IV. 1. (*b*) 2. Mach. IV. 12. Mach. I.

eam impenderunt, rati facile id Regi jucundius fore, quam cæsas Herculi victimas. Forte etiam illos puduit, publico solemnique sacrificiorum testimonio avitam Religionem deserere.

VI. Mortua interea Ptolomæi Philometoris dilecta matre Cleopatrà, Antiochi Magni filia, & Epiphanis sorore, cui pater dotis nomine Cæle-Syriam & Phæniciam tradiderat, Epiphanes provincias illas occupavit, de qua iniqua usurpatione Eulajus eunuchus nutritius Philometoris, unaque Lenæus capta Regni administratione, suas instituere querelas. Antiochus Epiphanes e contra nihil antiquius habebat, quam ut de occupanda etiam Ægypto consilium agitaret. Quare eo misit Apollonium specie quidem celebrandi Regni Philometoris initia, re tamen Optimatum animos tentandi, num Regis pueri, nepotis sui tutelam ad se deferri paterentur. At quantociùs intellexit Apollonius, nihil ex hac parte Antiocho esse sperandum. Quare bellum Philometori indicere Antiochus decrevit. Progressus igitur Joppen, Hierosolymam venit, ubi magnifice a Jasone exceptus, cum facibus, & acclamationibus introductus est. At Romanorum metu coercitus in Phæniciam rediit.

Epiphanes bellum in Ægyptũ parat.

ANNO MUNDI 3832. ante Christum 168.

VII. Jason post triennium a nundinato Pontificatu, Menelaum, e Tribu Benjamin, fratrem Simonis, qui Templi Præfectum agens Oniam vexaverat, Antiochiam misit, ut Epiphani pecuniis delatis, ejusdem animum de quibusdam maximi momenti rebus exploraret.

Menelaus Pontificatu Jasonẽ deturbat.

Verum Monelaus ea se gessit calliditate, ut Regis animo sibi comparato, & 300. talentis eidem supra ea, quæ Jason spoponderat, oblatis, de Pontificatu Jasonem deturbaverit, ea dignitate sibi vindicata. Jason vero, Menelao superbo, & tumente Hierosolymam reverso, fuga sibi consulens inter Ammonitas delituit, Onia III. interim Antiochiæ degente, quin posset apud Regem suum jus vindicare (*a*).

Inter Scripturã & Josephum antilogia.

VIII. Josephus ab his plurimum sane discrepat (*b*). Simon Pontifex, inquit, tres sibi filios, Oniam nempe III., Jasonem, seu Jesum, & Menelaum, alio nomine & ipsum Oniam, procreavit. Oniæ III. defuncto superstes fuerat ejus filius Onias, cujus tenera ætas cum summo Sacerdotio impar esset, Antiochus Jasonem constituit Pontificem; in quem ira brevi commotus, eam dignitatem ipsi ereptam in Menelaum transtulit. Hæc ille. Porro quæ de Menelai genere in quæstionem vocantur, facile conciliari possunt; idcirco enim nonnulli autumarunt, ipsum Simonis fratrem a sacro Scriptore dici, quod connubii lege, sine sanguinis conjunctione illum tangeret, vel quod partes illius sequeretur, sive tandem quod par, & quasi frater illi esset malitia. Cetera vero nullo fœdere jungi possunt; quare Josephum deserimus, quippe qui Scripturarum auctoritati non consentiat.

IX.

(*a*) 2. Mach. IV. 23. 13. c. 6. & l. 15. c. 3.
(*b*) Joseph. Antiq. l.

IX. Cum Antiocho promissam a Menelao pecuniam Sostratus Hierosolymitanæ Arcis Præfectus, ad quem etiam rerum, quæ ex vectigalibus colligebantur, exatio pertinebat, frustra posceret, ambo a Rege Antiochiam vocati sunt, coacti relinquere vicarium, Menelaus quidem in summi Sacerdotii administractione fratrem suum Lysimachum, Sostratus vero in præsidii & exactionis cura Cratetem, qui Cypro præfuerat. Hanc enim Insulam Ptolomæus Macron, Philometoris Præfectus, Antiocho prodiderat; a quo in numero amicorum adscriptus, copiarum ductor in Cæle-Syria, & Phænicia constitutus est (*a*).

Menelaus pactā pecuniam minime solvens exauctoratur.

X. Cum Ægypti Administratores bellum serio parare, animadverteret Antiochus, ut Philometori Cæle-Syriam & Phæniciam recuperarent, illos prævertit, commissoque prælio inter Pelusium & montem Casium superiora obtinuit. Parcens vero Regi, & amicitias simulans, Regnum occupavit (*b*). Cum Antiochiam rediisset, a Tarsensibus, & Malloris seditionem motam in Cilicia intellexit, quod harum civitatum proventus Antiochus pellici suæ Antiochidi destinasset. Quare sedando tumultui festinanter Rex eo proficiscens, Antiochiæ Andronicum, qui vices suas gereret, reliquit.

ANNO MUNDI 3833. ante Christum 167.

Antiochus occupat Ægyptū.

XI. Menelaus absentiæ Antiochi occasionem nactus opera Lysimachi fratris & vicarii sui, vasa nonnulla aurea e Templo Hierosolymita-

Onias III. occiditur.

A 4 no

(*a*) 2. Mach. IV. 28. (*b*) Hieron. in Dan. VIII. 8. X. 13. XI.

no subtraxit, quorum alia Andronico donavit, alia vendidit. Cum Onias III. hæc intellexisset, Menelaum sacrilegii arguit, statimque se se illius furori subducens in Daphnem juxta Antiochiam asylum, ubi amplissimum Apollinis fanum Antiochus Epiphanes condiderat, confugit. Verum Andronicus a Menelao muneribus corruptus eo se contulit, atque Oniæ fictis pollicitationibus, addito etiam jurejurando, persuasit, ut nihil sibi metuens inde exiret; quod cum ille fecisset, continuo trucidatus est. Quamobrem non modo Judæi, sed & Ethnici ira concitati apud Regem e Cilicia regressum conquesti sunt; qui Oniæ prudentiæ & ceterarum virtutum memor, a lacrymis minime abstinuit; deinde Andronicum purpura exutum per urbem universam circumduci, atque in ipso, quo Pontificem occiderat, loco obtruncari præcepit (*a*).

Quænam inter Spartiatas & Judæos cognatio.

XII. Oniæ, quem exquisitis laudibus effert Scriptura (*b*), Arius Lacedæmonum sive Spartanorum Rex hujus tenoris epistolam scripserat. *Arius Rex Lacedæmonum Oniæ Sacerdoti magno salutem. Inventum est in Scriptura de Spartiatis, & Judæis quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abram. Et nunc, ex quo hæc cognovimus, bene facitis scribentes nobis de pace vestra* (*c*). Onias Legatos Arii humanissime excipiens, Spartiatis rescripsit, duarumque gentium cognationem libentissime comprobavit. Latinus tamen textus, contra Græci fidem,

(*a*) 2. Mach. IV. 33.
(*b*) 2. Mach. III.
(*c*) 1. Mach. XII. 20.

dem, literas a Judæis ad Spartiatas prius missas refert. Porro Oniæ ad Arium epistola intercidit. Josephus & Usserius ponunt, Oniam hunc fuisse Oniam III. Alii tamen Oniam I. præferunt, quod diu ante Oniam III. Reges apud Lacedæmones desiissent, atque Urbis illius summa potestas in aliam gubernandi formam transiisset (*a*). Sed interdum supremis Reipublicæ Moderatoribus, licet non Regibus, regia inest potestas, & honor. Ad cognationem illam Lacedæmones inter & Judæos quod attinet, temporis injuria deleta sunt momenta, quibus illa demonstraretur. Volunt nonnulli, Lacedæmones originem referre ex Idumæis, vel Ismaelitis. Sed hujus assertionis nullum affertur documentum. Placet aliis animadvertere, satos ex Insula Creta Judæos, communem veterum fuisse persuasionem. Obtinebat id maxime ætate Taciti, qui scribit, *Judæos Creta insula profugos novissima Lybiæ insedisse* (*b*). Mons *Ida* parum discrepat a *Juda*, *Idæi* ab *Judæis*, amnis *Jarden* a *Jordane*. Ex Cretensibus Philisthæi, Judæis finitimi, orti creduntur (*c*). Lycurgus Spartanorum sive Lacedæmonum Legislator diu moram traxerat in Creta, unde & Leges deduxerat Mosaicis consonantes, quas suis traderet. Hinc facile locus persuasioni de necessitudine inter Judæos & Lacedæmones; ejusmodi enim quæ cordi blandiuntur persuasiones, & adoptantur faci-

(*a*) Scalig. animad. in 5. init. Euseb. Chron. p. 139. (*c*) Vide hanc hist.
(*b*) Tacit. Histor. l. l. 2. c. 12. n. 27.

facile, & rigidum exactumque examen respuunt. Nec sane nos cogit Scriptura, ut credamus quæ vera rebantur Onias & Arius; cum Scriptores sacri referant interdum errores, & vana quædam hominum commenta, quin proinde auctoritate sua illa confirment.

Lysimachi interitus. XIII. Lysimachus interea, ut pecuniam, qua Menelaus ipsius frater obruebatur, congereret; Templi thesaurum est populatus, & in populum ea re commotum tria armatorum millia immittens, Tyranno quodam eorum duce constituto, plurimos interfecit; quare omnibus ad arma, aliis ad lapides, aliis ad fustes irruentibus, quibusdam etiam in Lysimachum atriorum pulverem injicientibus, prope Templi ærarium sacrilegus obrutus tandem interiit (*a*). His de causis apud Antiochum, qui Tyrum devenerat, accusatus Menelaus, Ptolomæi Macronis amici sui opera non modo vitæ suæ consuluit, sed & mortem sibi debitam in suos detorsit accusatores; quorum vices miserati Tyrii ipsi magnifice eos sepeliendos curarunt. Felici successu audacior factus Menelaus majoribus injuriis cives vexabat.

Monstra Hierosolymis visa. XIV. Sub idem tempus contigit per universam Hierosolymam videri quadraginta dierum spatio per aera equites discurrentes, auratis stolis conspicuos, hastisque armatos, inter se se dimicare. Futurorum malorum præsagio hæc deputare, pronum cuique erat. Cum tamen quid potissimum portenderent, ignoraretur, omnes

(*a*) 2. Mach. IV.

omnes in preces conversi, rogabant, ut felix faustumque esset ostentum.

Epiphanes iterum Ægyptum occupat. Falsus de illius cæde rumor.

XV. Aliam in Ægyptum tunc Antiochus paravit expeditionem. Cum enim Ægyptii potius dissipati fuissent, quam clade affecti, levis, & prope inutilis Epiphanis victoria evaserat. Ægyptum igitur terra marique ingressus, facile superavit, totamque imperio suo subjecit, nemine fere resistente (*a*). Cum in Alexandriæ obsidione occuparetur, falsus de ejus cæde rumor Hierosolymam delatus, non invitis auribus exceptus est. Hinc plura orta mala. Jason, qui in Ammonitidem se se receperat apud Aretam provinciæ Regem, tempus adesse putans recuperandi Sacerdotii, Hierosolymam cum mille hominum manu veniens, scalis admotis eam cepit. Fugiente autem Menelao in Arcem ad Antiochi præsidium, cives a Jasone, tanquam in urbe capta, inclementer habiti sunt. Verum dissipato rumore de Regis obitu, Jason Ammonitidem iterum petiit; inde vero insidias Aratæ, cujus odium incurrerat, declinaturus in Ægyptum contendit; quam pariter regionem parum tutam ratus, deserens, ad Lacedæmones confugit; inter quos cum obiisset, mortui corpus ne tumuli quidem honorem obtinuit.

Jason Hierosolymā tantisper tenet.

ANNO MUNDI 3834. ante Christum 166.

Antiochus sævit in Judæos, & Templum diripit.

XVI. Cum intellexisset Antiochus Epiphanes, falsum de sua nece rumorem Judæis quidem gaudium, Jasoni vero & audaciam attulisse, illud præterea veritus est, ne tota Judæorum gens, se deserto, ad Ægyptium desci-

(*a*) 2. Mach. v. 1. & 1. Mach. 1. 17.

fciſcerent. Quare ex illa expeditione redux, Hieroſolymam armis aggreſſus eſt. Cives aliquanto obſidionem ſuſtinuere, ſed tandem proditoribus portas aperientibus ingreſſus eſt, juſſitque militibus ſuis obvios quoſcunque trucidare. Triduo ſævitum eſt, 40000. abſumpta ſunt, totidemque in ſervitutem redacta. His minime contentus Antiochus, duce Legis & patriæ proditore Menelao, Templum ingreditur, ſcelerataque manu rapuit Altare aureum, Candelabrum, Menſam Propoſitionis, crateres, phialas, thuribula, velum, coronas ipſaſque aureas ſquamas, quibus variæ Templi partes erant obductæ, & quæcunque tandem ab aliis Regibus ad loci honorem & cultum fuerant donata (*a*).

Fabula a Diodoro tradita. XVII. Si Diodorum Siculum audias, Antiochus Templi penetralia ingreſſus lapideam ſtatuam invenit, quæ virum referebat barba promiſſa, librum manibus tenentem, inſedentemque aſino; quem Auctor putabat Moyſem fuiſſe, qui ſuis legibus Judæos omnibus inviſos reddiderit. Antiochus autem, addit Diodorus, cupiens obducere odium illud, Judæorum leges diſſolvere conatus eſt. Hinc Statuæ illi, & ſubdiali Altari ingentem porcum ſacrificavit, & carnem quidem illam ſummum Sacerdotem alioſqe Judæos comedere coegit, jure vero ejuſdem bruti ſacros ipſorum Libros corrupit, obliteravitque (*b*). Sed hæc ad fabulas

(*a*) 1. Mach. 1. & 2. Joſeph. de Bello l. 1. c. 1. & l. 6. p. 929.

(*b*) Diod. l. 34. Phot. Bibl. Cod. 244.

bulas amandanda sunt, quas falsus de cultu Judæorum asinino rumor procusit. Alii enim Ethnicorum Scriptores Polybius, Nicolaus Damascenus, Strabo, Timagenes, Apollodorus, Castor Chronographus (*a*) ferunt, Antiochum pecuniis indigentem fœdus cum amicis sociisque Judæis violasse quidem, & Templum expoliasse; sed de Statua illa, aut de aliquo alio derisione digno, quod in Templo invenerit, nullum habent verbum. Illud equidem tradit Josephus, quamvis de eo Scriptura penitus sileat, Antiochi jussu mactatos suos in Altari, eorumque cruore Templum aspersum (*b*).

Antiochus Hierosolyma discedit.

XVIII. Antiochus 1800. talenta asportans e Templo, celeriter Antiochiam repetiit, Præfectis relictis ad affligendam gentem, Hierosolymæ quidem Philippo, genere Phryge, moribus barbaro; Garizim vero in Samaria, Andronico; quibus non deerat Menelaus, omnium pessimus. Tanta autem insania & superbia intumuit Antiochus, ut cum Antiochiam triumphans ingrederetur, Terram navibus perviam, Mare vero stans solidumque atque equitantium patiens, se reddere posse arbitraretur.

Antiochus Philometorem contra Evergetem tuetur.

XIX. Eulaii suasu ad recuperandam Cæle-Syriam novum bellum a Philometore institutum est. Quare Antiochus tertia expeditione suscepta Ægyptios fudit, fugavitque; cumque delere omnes posset, equo circumvectus vivos cape-

(*a*) Joseph. cont. Apion. l. 2.

(*b*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 16.

capere jussit. Ob quam maxime humanitatem & Pelusio, & paulo post universa Ægypto potitus est (a). Philometor autem deliciis assuetus, eam contraxit ignaviam, ut maximo & opulentissimo Regno sine certamine cesserit. Quare Alexandrini juniori ipsius fratri Ptolomæo Evergeti rerum summam detulere. Pulsus a Regno Philometor ad ipsum Evergetem Alexandriam confugit; Alexandrini autem aliquo sane temporis spatio utrosque fratres in Reges habuerunt, alterius duodecimum, alterius primum Regni annum numerantes; sed tandem iidem Philometorem in exilium miserunt. Antiochus exulis tutelam suscepit, eaque honesta specie bellum inferens Evergeti victor ad Pelusium fuit, trajectoque Nilo Alexandriam, ubi regnabat Evergetes, obsedit. Quare Evergetes, & Cleopatra ipsius soror Romanorum opem implorarunt. Antiochus frustra tentatis Alexandriæ mænibus, cum firmasset Memphi & in tota fere Ægypto Philometorem, in Syriam exercitum reduxit, validum tamen Pelusii relinquens præsidium, ut cum opportunum esset, rursus eo copias ducere posset. Non multo post pax inter fratres composita est, & ambo simul regnarunt. His Antiochus offensus, quod ambitiosi ejus consiliis adversarentur, comparatoque ingenti exercitu Alexandriam iter direxit. In itinere Legatis Romanis occurrit, quos cum salutasset, dextramque Popilio porrexisset; is Senatus literas ostendit, quibus jubebatur ab armis in Pto-

(a) Vide Usser. ad an. 3835.

Ptolomæos inferendis abstinere. Deliberaturum se ea de re cum amicis respondit; sed alter virga, quam manu tenebat, circulum in arena circa Antiochum describens, edixit, ut priusquam inde exiret, responderet. Obstupefactus Rex isto adeo insolito, atque imperioso facto, ubi parumper hæsitasset: *Faciam*, inquit, *quod Romani jubent*; indeque copias in Syriam fremens reduxit (*a*).

Sæviente Antiochi persecutione Judas Machabæus fugit, Sacrificia cessant, Templum prophanatur. Samaritanorum artes. Eleazari, & septem Fratrum Martyrium.

CAP. II.

I. POst hæc, Antiochus Hierosolymam misit Apollonium tributorum collectorem, cum mandatis, ut neci traderet quoscunque viros aptos ad arma offenderet, feminas vero & pueros sub hasta venderet (*b*); quæ quidem ille hac fraude executioni mandavit. Urbem cum exercitu 22000. militum adivit, eamque pace simulata ingressus tandiu quievit, quamdiu dies Sabbati adesset. Cum vero populus diei sancti religionem veritus, nihil minus quam defensionem curaret, invectus est in incautos Apollonius, omnesque, qui ad Templum ascenderant, trucidavit; discurrens deinde per urbem, cum ingentem multitudinem

ANNO MUNDI 3836. ante Christum 164.

Apollonius Hierosolymæ sævit.

(*a*) Liv. l. 44. 45. Polyb. Legat. 84.

(*b*) 1. Mach. 1. 30. & 2. Mach. v. 24.

nem pariter necasset, ipsam urbem incendit, dirutisque domibus ac mœnibus, prædivitem prædam, decemque captivorum millia abduxit (*a*).

Judas Machabæus in desertum secedit, & Sacrificia Hierosolymæ cessant.

II. Tunc Judas Machabæus novem comitatus sociis in desertum secessit, ubi gramineo alimento pascebatur, ne particeps esset contaminationis, & desolationis, quæ grassabatur. Extructa enim ab Antiochi ministris in monte Sion arce, vel potius munitionibus aucta firmataque, quam antea Syrii occupabant (*b*), insidiæ hinc illis parabantur, qui Templum adirent, ut nemo illuc venire posset, quin vel vitæ, vel rerum periculum a militibus subiret. Hinc deserto Templo, & Hierosolyma Ethnicorum habitatione facta, Sacrificiorum religio omnino cessavit, vel saltem minori frequentia & libertate celebrabatur; quæ Sacrorum intermissio per triennium & sex menses, usque ad Templi per Judam Machabæum expiationem, duravit.

Samaritanorum artes.

III. Cum viderent Samaritani, Judæos gravissima pati, consueta uti arte cœperunt, se se conjunctos esse cum Judæis sanguine, aut Religione pernegantes. Quare plenas doli literas ad Antiochum scripsere, quibus ipsum quidem Deum esse, qui hominibus apparuerit, se vero Sidonios, Sichem habitantes, profitebantur, qui pestilentia afflicti, veterem quamdam superstitionem sequuti, Judæorum Sabbatum adoptarint, & in Templo sine nomine in

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 7.

(*b*) Vide Calm. 1. Mach. 1. 35.

in monte Garizim erecto victimas obtulerint; rogare proinde, ut in iis, quæ de Judæis expetebat, suppliciis, cum sontibus non confunderentur; præsto se se exhibentes, ut ipso jubente Templum Jovi Græco consecrarent. Antiochus datis ad Præfectos literis, Samaritanos commendavit, impiaque illorum postulata concessit (*a*).

ANNO MUNDI 3837. ante Christum 163.

Antiochus Sacris Judæorum bellum indicit.

IV. Sequenti anno Antiochus imperavit omnibus sibi subjectis populis ut eosdem ritus servarent, relictisque propriis consuetudinibus eamdem cum Græcis Religionem profiterentur, mortis pœna in reluctantes indicta. Illis autem qui Hierosolymam incolebant, expresse jussit ut Sacrificia tollerent, Sabbata ceterosque dies festos negligerent, Sanctuarium, & Ministros ejus coinquinarent, omissaque filiorum circumcisione, aras, delubra, lucosque Idolis ædificarent, sues & alias immundas pecudes immolarent, ita ut oblivliscerentur Legis, & crimen esset Judæum esse. Nec persecutio in Hierosolymam tantummodo decreta est, sed & alias Judæorum urbes obvolvit. Quin suggerentibus Ptolemaidis Palæstinæ civibus prodiit decretum in vicinas civitates Græcas, ut eodem fato, cui Hierosolymitani, ceteri etiam Judæi subjicerentur. Præfecit autem Rex inspectores, qui edictorum suorum executionem urgerent.

Templa Judæorũ, & Samaritanorum Jovi dicantur.

V. Unus ex illis Templa Hierosolymitanum & Garizimitanum prophanavit, alteri *Jovis Olympici*, alteri *Jovis Hospitalis* nomine im-

(*a*) 2. Mach. v. 27. Joseph. Antiq. l. 12. c. 7.

imposito. Quà in re conditionem potius, quam postulationem Samaritanorum observavit. Illi enim Jovi Græco Templum suum consecratum volebant; sed cum in terra Judæorum peregrini essent, & advenæ, tutelæ Jovis Hospitalis commendati fuerunt (a). Templum autem Hierosolymitanum Ethnicorum fornicationibus, crapulisque redundabat; ubi tandem die 15. Casleu, qui partim Novembri, partim Decembri correspondet, super Altare abominatio desolationis, Jovis scilicet Olympici Idolum collocatum est; & decem post dies erecta ibidem ara prophanis sacrificiis litatum est (b).

Ethnicorum impietas & crudelitas.

VI. Tripodes præterea coram privatis singulorum domibus statuebantur, ut singulæ familiæ idololatricis suffitibus contaminarentur. Sicubi reperiebatur sacer Scripturarum codex, flammis illico tradebatur; ille vero, apud quem extabat, trucidabatur. Matres, quæ filios circumcidebant, appensis ad ipsarum cervices filiis suspendebantur; geminæ vero ex illis per urbem circumductæ, natis ad mammas alligatis, e mœnibus præcipites actæ fuerunt, ipsarum simul familiaribus, & circumcisionis ministris necatis (c). Singulis mensibus Natalis sui memoriam celebrabat Antiochus stato die; quo tempore superstitiosis sacrificiis, quæ pro illius incolumitate offerebantur, interesse Judæis opus erat. Cum vero Bacchi sacra fierent, solemni ritu incedere post illius simu-

(a) 1. Mach. 1. 43. 52. & 2. Mach. VI. 1. 2. &c.

(b) 1. Mach. 1. 57. 62.

(c) 2. Mach. VI. 8.

ſimulacrum hedera coronati pariter cogebantur. Qui his contaminari nolebant, in ſolitudinem fugiebant.

Eleazari Martyrium.

VII. Sævientis perſecutionis ponderi Judæi ſane multi ſuccubuerunt; viciſſim autem in avita Religione non infrequentes perſeverarunt; quod cum Antiochus intellexiſſet, in ſuperiorem urbis partem, comitantibus ex Aula viris ampliſſimis, & militibus armatis aſcendens, novo edicto imperavit, ut ad ſe raperentur inobedientes, cogerenturque tormentorum vi ad ejurandum Judaiſmum (*a*). Vir princeps Hieroſolymis erat, nomine Eleazarus, qui inter Doctores primas tenebat, genuſque retuliſſe ſacerdotale, tradit Joſephus. Hic omnium primus ante tribunal ſtare juſſus, ut ſuillam deguſtaret, tentatus eſt, non ſuaſionibus tantum, ſed & vi aperto ore. Ille mortem præferens vitæ, quam nonniſi fœde ſuccumbendo ſervaſſet, ſponte carnifices præibat ad tympanum, quod erat fuſtium ſupplicium (*b*). Venerabilis ſenis aſpectu tacti corde adſtantes, ſimulque gratiam volentes præſtare viro, veteri ſibi amicitia conjuncto, ſeorſum adductum rogarunt, ut vel ſaltem ſpecie quadam deguſtandi immolatitia falleret perſecutores, ſeque ab imminenti diſcrimine eriperet. Verum ille canitiem ſuam conſiderans, vitamque morum ſanctitate ad id uſque traductam, malle potius mori ſignificavit, quam poſtulatis acquieſcere. Indignum eſt

B 2 enim,

(*a*) Joſeph. de Imperio Rationis.

(*b*) 2. Mach. VI. 19. juxta Græcum.

enim, inquit, ætatis nostræ virum hac sibi consulere simulatione, qua juvenibus essemus offendiculo, reputantibus, Eleazarum, nonaginta annorum senem, a Judæis defecisse ad Paganos; quem proinde imitandum sibi proponerent. Ita ego nomini meo insignem ab hominibus maculam inferrem; & quamquam me a paratis per hostes suppliciis eximerem, manum tamen omnipotentis Dei nec vivus, nec defunctus effugerem. Si autem honesta morte perfungar, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus vero forte relinquam exemplum, quo excedere vita pro sanctissimis legibus non vereantur. His viri strenui dictis alte sauciati sunt, qui hominem ad supplicium ducebant, rati tumoris esse, quæ constantis erant animi. Cum igitur ictibus pene enectus mortem instare jam intelligeret, ita Deum effatus est: Tu nosti. Domine, pronum fuisse mihi e tanto periculo me eripere; nec te pariter fugit, quos perferam cruciatus; intus tamen in corde gaudeo, mortem pro te oppetens. Quibus simul dictis animam efflavit (*a*).

Septem Fratres Machabæi, eorumque Mater.

VIII. Septem etiam Fratres jussu Antiochi comprehensi, ut decretis illius acquiescerent porcinas carnes edendo, numquam induci potuerunt. Vetus Latina Versio Libelli de Imperio Rationis suum unicuique fratri nomen adscribit. Primum nominat Machabæum, alterum Aberum, tertium Machiri, quartum Judam, quintum Achaz, sextum Areth, ultimum Jacobum. Patrem vocat Archippum, ma-

(*a*) 2. Mach. VI. 18. &c. Joseph. de Imp. Ration.

matrem vero Machabæam; quam tamen nonnulli appellant Salome, alii Annam, quidam Schamunah, ſcilicet Mulierem Principem. Joſephus eos, quemadmodum & Eleazarum, ſupplicium Hieroſolymis ſubiiſſe narrat; at certior opinio, illos Antiochiæ paſſos docet. Ibi enim S. Hieronymi ætate illorum ſepulcra oſtendebantur (*a*); & S. Auguſtinus Templum illis in eadem urbe dedicatum memorat (*b*). Malumus autem & ipſum Eleazarum Antiochiæ obiiſſe, nam & ſeptem Fratrum & ſenis Eleazari martyria jungunt quicumque de illis habuere ſermonem.

IX. Primus inter fratres, cum propoſitum ſuum de perſeverando in Dei Lege, etiam cum vitæ diſcrimine, coram Rege aperuiſſet, lingua atque manuum pedumque extremitatibus mutilatus eſt. Cutis deinde capitis detracta, ſpirans adhuc in ardentem ſartaginem ſuppoſito igne conjicitur. Parem alterius fratris conſtantiam non abſimile ſupplicium exercuit. Tertio manus & lingua amputatæ ſunt. Eadem & quartus paſſus eſt; nec æquior fuit quinti conditio, cujus tamen fortitudinis licet nulla peculiaria monumenta in ſecundo Machabæorum Libro extent, in quarto tamen, de Imperio Rationis dicto, ubi fuſius Machabæorum paſſiones narrantur, ultro ſe Tyranno objeciſſe perhibetur. Illi vero cum immanem crudelitatem exprobraſſet, comprehenſus illico a tortoribus, quæſtionem pri- *Septem Fratrum Martyrium.*

B 3 mum,

(*a*) S. Hieron. In locis v. Modin.

(*b*) S. Auguſt. ſer. 1. de Mach. 30. Nov. Edit.

mum, compedesque ferreos sustinuit; deinde rotæ cuspidibus armatæ resupinus alligatus transfossus, discerptusque animam efflavit, ea oris constantia, ut adversarios percelleret. Sextus animi firmitate nihil reliquis concessit, maxime ad fortiter sustinendum matris verbis confirmatus, quæ & ceteros filios ad mortem fortiter obeundam hortata fuerat. Septimo tandem omnium adolescentiori dejiciendo Rex nihil intentatum reliquit. Primo enim ingentes divitias, summumque apud se locum sacramento pollicitus est. Cum nihil proficeret, apud matrem egit; ut filio saniora consilia inspiraret. Illa parere simulans, ad filium accessit, eumque patrio sermone adstantibus ignoto enixe rogavit, ut promissa certantibus pro Religione respiciens, nihil se tormentorum acerbitate a divinæ legis tramite dimoveri pateretur. Adhuc loquente matre, filius elata voce: Quid ultra, inquit, sustinetis? Non ego Antiocho, sed latis per Moysem Legibus obtempero. His dictis, pluribusque de imminenti in Regem Dei ultione adjectis, eadem qua ceteri constantia mortem opetiit.

Mors Matris Machabæorũ. X. Matrem deinde absumptam fuisse, tradit sacer Textus (*a*); quo tamen potissimum supplicio ignoramus. Libellus de Imperio Rationis narrat, ipsam se, ne quo ab homine tangeretur, in accensam pyram injecisse. Gorionides & Arabs ferunt, liberis interfectis, ipsam inter eorum cadavera stantem, erectis ad cælum manibus, Deo supplicasse, ut se se ex

(*a*) 2. Mach. VII. 41.

ex hac vita educeret, statimque audita prece, lapsam super filios obiisse. Marius Victorinus Afer in carmine de Machabæis gaudio decessisse innuit, visa filiorum constantia, nemine degeneri, aut imbecilli: *Solverunt gaudia Matrem*. At plerique censent post Latinum Libelli de Imperio Rationis Interpretem, statim post filios durissimum subiisse martyrium, raptatam, exutamque, discerptis mammillis, tum virgis cæsam, in fervens ahenum injectam obiisse. Festum Machabæorum die prima Augusti in Ecclesia celebratur, eorumque memoria, unico de Sanctis veteris Testamenti exemplo, peculiari officio recolitur.

Mathathias Hierosolyma secedit. Machabæi, & Assamonæi nomen. Machabæorum facinus defenditur. Religio Sabbati declarata. Pontificatus Mathathiæ impugnatur. Assidæorum zelus. Mathathiæ obitus.

CAP. III.

I. MAthathias filius Joannis, & nepos Simeonis, e stirpe Eleazari, Phineisque, & familia Joarib inter sacerdotales amplissima, ortus (*a*). Hierosolymis degebat, facile in ministerio, dum ibidem Antiochi persecutio ferveret, cujus vitandi gratia, vel potius ostendendi ingentem divini cultus, quo æstuabat, zelum, in Modin, non longe a Diospoli, patriam suam secessit. Quinque erant Ma-

ANNO MUNDI 3837. ante Christum 163. *Mathathias Modin petit.*

B 4

(*a*) 1. Mach. II. 1. 54. & 1. Par. XXIV. 7.

Mathathiæ filii; Joannes, cognomento Gaddi; Simon, dictus Thasi; Judas, Machabæus appellatus; Eleazar, quem vocabant Abaron; & Jonathas, alio nomine Apphus.

Quid nomen Machabæus. II. Porro nomen Machabæus multipliciter explicaretur. I. Ex Hebræo *Caba*, extinguo, derivare poteris, quasi diceres, Extinctor, sive Occisor hostium Domini. II. Ex *Maca-bi*, plaga in me, seu per me; scilicet, Deus me cæcidit, vel Deus per me cæcidit hostes. III. Ex *Makke-bajah*, hoc est, Percutiens, sive Vincens in Domino. Æquivalet Nicatori, seu Nicanori quo nomine appellatus est Seleucus primus Rex Syriæ. IV. Ex *Mechubbeh*, vel *Muchabeh*, Absconditus. Fortasse ita opprobrii ergo nuncupabatur Mathathias, ejusque filii, quod inter montes se condidissent; quam tamen appellationem deinceps nobilem rerum gestarum fama reddidere, dignam proinde, quæ Judæ potissimum tribueretur, vel quod omnium fortissimus esset, vel quod omnium primus deserta petierit (*a*); ex eoque emanaret in ceteros omnes, qui sive sanguine, sive Religione ei conjuncti per ea tempora præclara sui in Legem studii monumenta reliquerunt. Hinc septem fratres, qui una cum matre martyrium consummarunt, eo nomine donati sunt; eodemque inscripti fuerunt Libri, qui illorum temporum historiam complectuntur. Communissima tamen omnium sententia fert, Judam signis bellicis quinque Hebraicas litteras מכבאי inscripsisse, quæ nostris hisce congruunt

(*a*) Confer 2. Mach. v. 27. cum 1. Mach. II. 1.

gruunt M. C. B. E. I. quæque compendio exhibent hanc Exodi sententiam: *Mi camoca Be-Eloim Jehovah*; scilicet, *Quis similis tui in Diis, Domine* (*a*)? Non dissimili artificio Romani vexillis inscribebant S. P. Q. R. Senatus Populus-Que Romanus.

Unde Assamonæorum nomen.

III. Machabæi etiam Asmonæi, sive Assamonæi, potissimum post Judæi Machabæi necem appellati sunt. De origine hujus nominis Scriptores pariter diffident. Nonnulli enim a vico Judæ Asamon (*b*), ex quo fortasse familia illa ortum habuit, nomen derivant. Kimchi placet hoc nomen titulum esse honoris, quod Mathathiæ collatum ad posteros deductum sit. Hebræum enim *Kascmanim* Magnos Principes significat. Josephi tamen testimonium communiori assensu probatur; tradit enim, Mathathiam proavum habuisse *Assamonæum* (*c*). Porro genus Assamonæorum longe clarissimum fuit, ac totius Religionis, & libertatis post Antiochum Epiphanem assertor; quin & a discessu Mathathiæ usque ad Herodem Magnum, spatio scilicet 128. annorum, summa apud illos auctoritas & Reipublicæ Judaicæ imperium fuit.

An Machabæi per matrem ex Tribu Juda fuerint?

IV. Hinc plures (*d*) ajunt, Machabæos, sive Asmonæos ex Juda per matrem genitos esse, ex Aarone per patrem; idque statuendum censent, ut veritas vaticinii Jacobi demonstretur, quo Judæ prædixit fore, ut Sce-

(*a*) Exod. xv. 11. 12. c. 8.
(*b*) Josue xv. 27. (*d*) Hieron. August.
(*c*) Joseph. Antiq. l. Lyran. Abul. Serar. alii.

Sceptrum nunquam ex ejus sobole periret, donec Messias veniret. Cum tamen ea sententia nullo ajente argumento nitatur, ipsumque vaticinium alia ratione explicari possit (*a*), illam deserere possumus.

Post impiorum necem Mathathias montana petit.

V. Mathathias in Modin Judæorum infortunium una cum filiis lugebat, occasionemque amoris sui in Religionem & Patriam specimen exhibendi operiebatur. Nec diu expectavit; missi enim impiis Antiochi jussionibus urgendis viri, in eum locum venerunt; quorum terrore plures e populo a patriis Legibus descivere. Unus Mathathias cum filiis forti animo obsistens, cum ad sacrificium prophanum omnium primus, utpote qui ex Optimatibus esset, requireretur, elata voce nummquam se Antiocho ea in re obtemperaturum professus est. Vix hæc ille, cum Judæus quidam universo spectante populo ad sacrificandum Idolo processit; cujus rei indignitate, simulque dolore vir abreptus, in sacrilegum irruens super aram litantem trucidavit. Nec mitius Regium Præfectum excepit, quem Josephus Apellem vocat, Rufinus Apollonium, Judæi Philippum. Everso deinde altari, Quicumque, exclamavit, studio Legis tenentur, atque initum cum Domino fœdus, sanctum inviolatumque volunt, me ducem sequantur; statimque relicta urbe Modin in montes secessit (*b*).

VI.

(*a*) Vide hanc Hist. l. 2. c. 12. n. 7.

(*b*) 1. Mach. 11. 16. 28.

VI. Facinus Mathathiæ, & ea, quæ deinde a filiis ipsius gesta fuere, his tuentur Theologi. Interfici statim jubet Moyses, nulla judicii servata forma, eum qui populum in crimen pertrahere, atque a Domino ad prophanos deos seducere voluisse demonstratur (*a*). Concessa sibi potestate prorsus abutebantur Syriæ Reges, coactis Judæis eam deserere Religionem, quæ neque bonos mores, neque pacem Reipublicæ, neque debitum Principibus obsequium læderet. Hactenus Judæi libertate superiorum Regum edictis concessa & confirmata, tutoque Legum & Religionis exercitio gavisi fuerant; nec unquam his privilegiis exui, vel defectione, vel contumacia erga Reges meruerant. Nihilo tamen secius hostilia passi sunt, sævissimis suppliciis cruciati, coacti invita conscientia, Legibusque, Idola colere. Satis igitur causarum Judæis esse videri poterat, ut arma in hostes caperent, ob Legum, Religionis, Libertatisque defensionem. Quibus hæc imparia sunt, ut illorum facinus excusent, immissa Dei illustratione apertissimis prodigiis demonstrata, eorum mentem permotam sciant. Angeli Judam protegebant (*b*). Jeremias gladium illi dejiciendis Judæorum hostibus præbuit (*c*). Laudes denique, quibus passim Spiritus sanctus prosequitur Machabæos, argumenta sunt, quæ Deum consilii auctorem, non propriam ipsorum voluntatem, fuisse demonstrant.

Facinus Mathathiæ & filiorum defendi- tur.

VII.

(*a*) Deut. XIII. 9. XI. 8.
(*b*) 2. Mach. X. 29. (*c*) 2. Mach. XV. 16.

Vim repellere die Sabbati licet. VII. Fugientem in Montes Mathathiam cum filiis quamplures Judæorum sequuti sunt, qui in speluncis una cum familiis suis, jumentisque utcumque vitam tolerarunt. Hæc cum audisset Philippus Phrix, Præfectus Hierosolymis ab Antiocho constitutus, aliique regii Duces, assumpto præsidio Arcis Hierosolymitanæ eo statim advolantes; pluribus conati sunt suadere, ut Regi morigeros se se exhiberent. Verum cum irritus illorum sermo cederet, die Sabbati, igne in specus injecto, mille ex illis concremarunt, ob diei Religionem non repugnantibus, ac ne aditus quidem speluncarum obturantibus. Quibus ad Mathathiam delatis, post solutas pietati fratrum lacrymas, coacto filiorum, amicorumque cœtu, quid deinde in simili eventu faciendum deliberarunt. Omnium autem suffragio decreta defensio est; neque enim fas esse censuere, ut Judæorum Religione hostes abutentes, impune in ipsos die Sabbati debaccharentur (*a*).

Num Mathathias summus Sacerdos? VIII. Non defuere, qui Mathathiam, postquam e Modin montes secesserat, gentis summum Sacerdotem, & Populi Principem fuisse creatum, assererent, id probantes ex eo quod de Sabbati observatione sententiam tulerit. Ægre tamen horum sententiam neque Scripturæ, neque Josephi testimonio fultam amplecteremur. Quod autem præstitit Mathathias, explicando legem Sabbati, ob vitæ tutelam, id extraordinarium est, neque a quoquam, quamvis laico, alienum, qui in iis rerum angu-

(*a*) 1. Mach. 11. 40.

gustiis, & populi regimine, non secus ac Mathathias, fuisset.

Mathathias apostatas a Lege persequitur.

IX. His, qui Mathathiam sequebantur, Assidæi, viri totius Israelis religiosissimi, atque strenui, multique alii, qui studio Legis tenebantur, se adjunxere; ex quibus æquus exercitus constitutus, in Judæos refractarios, & a Religione desciscentes irruerunt. Ex illis plures trucidati; ceteri apud exteras nationes confugere. Totam deinde regionem discurrens Mathathias aras Idolorum evertit, incircumcisos filios rite initiavit, atque abjectum Dei cultum ubique restituit.

Mathathiæ obitus.

X. Postquam Mathathias miseræ exulantique Judæorum genti per annum præfuisset, exitumque vitæ imminere sibi sentiret, accitos ad se filios his verbis allocutus est. Nunc, filii, cum jam impietatis jura prævaleant, vobis unis Legis nostræ res committuntur; vitæque vestræ periculo fœdus a Patribus cum Domino initum, ratum & firmum servandum est. Quare in memoriam revocare vos oportet Patrum exempla, & fortissima illorum facta, ut tantorum virorum filii contra impiorum audaciam impavidum pectus objiciatis. Hac enim ad veram gloriam via patet. Simonem fratrem vestrum, virum sane probum, loco patris habere vos decet, cujus verbis unice deferatis. Judas vero Machabæus, vir ab ineunte ætate strenuus, copiis præfectus, res bellicas administret. Tandem moneo, ut juncto inter vos, atque cum aliis fidelibus viris societatis fœdere, nullas simultates, nisi tantum

tum contra hostes admittere patiamini. His dictis, paternaque benedictione filiis donatis, diem clausit, anno Æræ Seleucidarum 146. Mundi vero 3838. Cadaver ipsius luctu universi Israelis curatum, in sepulcro patrum suorum in urbe Modin conditum est (*a*).

Judæ de Apollonio, Serone, Nicanore, Timotheo, Bacchide, & Lysia victoria. Templi expiatio. Infelix Antiochi Epiphanis in Persidem iter, falsa pœnitentia, miserabilis interitus. Antiochus Eupator succedit.

CAP. IV.

ANNO MUNDI 3838. ante Christum 162. *Judæ de Apollonio, & Serone victoriæ.*

I. JUdas Machabæus patrem Mathathiam in populi regimine excepit, primus inter fratres suos, non quidem origine, quantum videtur, sed virtute, licet diversa probentur Josepho (*b*). Statim ille montibus egressus atque oppida vicosque peragrans, Judæos omnes Legis studiosos collegit, brevique sex hominum millia sub signis habuit, quibus munitus commoda loca occupavit, vastatisque agris, urbibusque crematis, nulli hostium, quem caperet, parcebat, instruendis insidiis noctium opportunitate maxime usus, adeo ut de bellica ipsius virtute fama ubique personaret. Quare veritus Apollonius Samariæ Præfectus, ne Judas in Regem invalesceret, collecto exercitu omnium primus se illi oppo-

(*a*) 1. Mach. 11. 49. Joseph. de Bello l. 1. c. 1.
(*b*) 1. Mach. 11. 4. Jo-

opposuit. Verum Judas hostem & exercitu & vita privavit. Ingens præda cessit victori, quam summopere augebat insignis ipsius Apollonii ensis, quo deinceps in bello semper usus est Judas. His auditis Seron alter Syrorum Dux spe comparandæ sibi gloriæ valido adducto exercitu, quem numerosiorem reddebant plures Judæi Legis desertores, contra Judam ad Betheron usque processerat, cum Judæ milites in hostium conspectum venientes, animis desponderunt, quod numero essent longe minori, simulque jejunio debilitati. Sed Judas, illis bene sperare jussis, insinuansque, Deo, cui unice fidebat, perinde esse, vincere cum paucis, debilibusque, ac cum multis, validisque, tanto impetu in adversarios irruit, ut cæsis ex illis 800. reliquos se se fuga in terram Philisthæorum subducere, adegerit (*a*).

II. Machabæi terror Antiochiam usque perveniens, non modice Epiphanem turbavit; cumque Rex in Judæos statim validum exercitum coegisset, militibusque in annum stipendium dedisset, præcipiens, ut ad omnem usum parati essent, vidit ærarium suum exhaustum deficere. Nam præter immodicos sumptus, & profusissimas largitiones, quibus antecessores suos superaverat omnes, vectigalia plurimum imminuta erant, deficientibus ab eo Judæis, qui illi ultra 300. argenti talenta in singulos annos pensitabant; & Græci præterea, aliæque nationes ab ipso aversæ, quod unam eamdemque Religionem suam ubique regnare præcepis-

Antiochus iter in Persidem parat.

(*a*) 1. Mach. III.

pisset, ægre tributum solvebant. Quare in Persidem iter decrevit, ut ex illorum populorum tributis, aliisque pecuniis collectis, & imposito Regibus Syriæ a Romanis vectigali pendendo, & bello in Judæos gerendo, impar non esset. Addit Arabs, Regem Persarum præclara Judæ facinora imitaturum, ab Antiocho defecisse, Antiochum vero, ut illum coerceret, Euphratem trajecisse (a).

ANNO MUNDI 3839. ante Christum 161.

Bellicus in Judam apparatus.

III. Lysiam interea amicum suum & cognatum Regni Syriæ administratorem, & filii sui Antiochi Eupatoris curatorem Rex constituit; quem simul media sui exercitus parte auctum mandatis oneravit, ut Judæis bellum inferret, eosque penitus deleret. Dum Antiochus in Persidem proficiscitur, Philippus Hierosolymitanorum Præfectus Ptolomæum Dorymenis filium, alio nomine Macronem, Cæle-Syriæ & Phæniciæ Gubernatorem, per literas, ut Regis Imperium sustentaret, etiam atque etiam rogavit; nec frustra quidem, nam ipse statim Nicanorem Patrocli filium, una cum Gorgia rei militaris peritissimo, viginti hominum millibus præfecit; quibus a Lysia additus fuit & idem Ptolomæus cum suis copiis, ita ut sub tribus Ducibus Ptolomæo, Gorgia, & Nicanore numerarentur 40. peditum millia, & septem millia equitum, qui omnes in Judam moverunt. Porro Nicanor certa adeo spe delendos a se Judæos ominabatur, ut 2000. talentorum tributum inde se conflaturum

(a) 1. Mach. III. lyb. apud Ath. l. 5. c. 4. Diod. Sic. in Excerpt. Po- & l. 10. c. 12.

turum jactaret, quibus Rex Romanis pro tributo, quo astringebatur, esset solvendo. Quare eodem tempore ex urbibus maritimis mercatores accivit, ut ad emendos Judæos, a se mox subigendos essent parati, nonagenos unico talento empturi (*a*).

IV. Judas certior de re tota factus, coactis 7000. circiter ex suis, hortatus est ut manus strenue consererent, nihil timentes hostium multitudinem; revocarent in mentem, quot olim Deus prodigiis populo suo favisset, cum in delendo Sennacheribi exercitu, tum etiam in cæde 120000. Gallorum, vel Galatarum, quos 6000. tantum Judæorum in Babylonia stravere; quæ tamen victoria quomodo, aut quando contigerit, silentibus Historicis, qui modo supersunt, penitus ignoramus (*b*). Postquam ita milites suos comparasset ad suscipiendam Legis & Patriæ defensionem, cum Hierosolyma ab hostibus teneretur, duxit omnes in Maspham, quæ sedes erat Religonis & precum in Israele ante Templi constructionem (*c*). Ibi jejunio vacantes induerunt se cilicio, capitibusque suis cinere inspersis, & scissis vestibus opem Dei implorarunt; simulque Eleazarus Judæ frater e Legis Libro aliquid coram frequenti populo legit; exposita etiam fuerunt nonnulla ornamenta sacerdotalia ex violato per hostes Templo erepta; ac tandem Nazaræi se se Sacerdotibus præsentarunt. Do-

Judas ad bellum milites parat.

(*a*) 2. Mach. VIII. 8. l. 8. c. 7. n. 4. & 1. Mach. III. 38.

(*b*) Vide hanc histor. x. 17.

(*c*) 1. Reg. VII. 5. &

mino supplicantes, ut Templum & sacros ritus restitueret. Secundum hæc, iis, qui domos ædificaverant, desponsaverant uxores, plantaverant vineas, omnibusque formidolosis, juxta Legis præscripta dimissis (*a*), constituti sunt a Juda Præfecti, Tribuni, Duces, Decuriones; suas singuli portiones copiarum ad nutum supremorum Ducum curaturi. Quibus ita dispositis, Judas itineri se commisit, castraque locavit juxta Emmauntem, quo processerant hostes, atque in mane alterius diei præsto stare ad prælium militibus jussit.

Judæ de Nicanore victoria.

V. Ratus autem Gorgias, incautis superventurum se Judæis noctis silentio, subeunte vespere fultus manu 5000. peditum, & 1000. equitum selectissimorum, iter monstrantibus Judæis quibusdam apostatis, recta se contulit in hostium castra. Judas, quem nihil latebat de adversariorum consiliis, nihil concedendum tempori intelligens, vasa in noctis silentio collegit, atque absentia expertissimi Ducis Gorgiæ commode usus, declinans iter hostis, processit aggressurus reliquum exercitus, quod sub Nicanore substiterat in Emmaunte. Venit interea Gorgias ad castra Judæ, atque deserta omnia nactus, reputavit, fuga dilapsos Judæos, eosque in montibus persequi statuit. Sed Judas quadrifariam diviso exercitu 1500. milites singulis fratribus suis Simoni, Josepho, & Jonathæ commisit, assignavitque in tesseram, *Dei adjutorio*; tum ipse tribus millibus assumptis im-

(*a*) Deut. xx. 5.

impetum fecit in Nicanorem, de cujus exercitu ultra 9000. cecidit, reliquos vero fudit, fugavitque; fuga vero tam effusa fuit, ut in ea tria millia desiderata sint. Nicanor autem, ne agnosceretur, suis vestibus exutus, pudore & confusione plenus, Antiochiam regressus est.

VI. Judæos ad spolia se conferentes cohibuit Judas, quod Gorgiam superventurum non dubitaret. Nec vana illum autumasse, statim intellexerunt: Gorgiæ enim copiæ illico in monte apparuerunt, cum ex inflammatorum castrorum fumo alteram exercitus sui partem dissipatam percepissent. Cum tamen Gorgias Judam cum suis in prælium paratum videret, reducto pede terga vertit. Tunc Judas sociique in prædam versi castra diripuerunt, potiti insuper illa pecunia, quam mercatores spe Judæos emendi eo detulerant; quos equidem, dum fugerent cum aliis Regis militibus, persecuti sunt Judæi, cepissentque, ni subeunte Sabbati religione sacrum otium ii servare voluissent. Elapsa autem illa die, præda distributa est; qua in re Judas majus aliquid præstitit, quam Lex juberet, volens, ut sua esset pars non solum militibus, sed & gentis debilibus, viduis, pupillis, egenisque (*a*). *Judæi ingenti præda potiuntur.*

VII. Cum Timotheo deinde & Bacchide Judæi congressi supra 20. millia hostium interfecerunt, cujus victoriæ fructus munitiones, in arduis positæ; arma selecta, in opportuna loca asportata; ingens præda eodem quo alte- *Timotheus, & Bacchides superantur.*

(*a*) 2. Mach. VIII. 28. &c. Deut. XXXI. 27.

altera ritu divisa; & spolia quædam pretiosiora, quæ deinde Hierosolymam delata fuerunt. Philarchen quoque, qui cum Timotheo venerat, quique Judæos multum vexaverat, necarunt; Callisthenem vero, qui sacras Templi januas incenderat, in domunculam quamdam confugientem cremarunt.

Lysias vincitur. VIII. Insequente anno Lysias Regni administrator bellum per se ipsum reintegrare decrevit, fultusque 60000. peditibus, & 5000. equitibus in Judæam venit; cui Machabæus occurrens cum 10000. usque Betheroni in hostes insiluit, atque 5000. ex illis interfectis, reliquos in fugam vertit. Quare Lysias Antiochiam illico regressus est, ut Judæis contendis novos selectosque milites compararet.

ANNO MUNDI 3840. ante Christum 160. *Templum expiatur.* IX. Ita hostibus expeditus Judas una cum exercitu Hierosolymam venit, Templum expiaturus; cumque loca sancta deserta, portas exustas, Altare prophanatum, atria dumis horrentia, & pastophoria, sive conclavia diruta vidisset, Sacerdotes illis peragendis incumbere jussit, quasdam vero militum copias locavit inter Templum & Arcem, ut Syros eam occupantes ab iis, qui Templo insudabant, vexandis prohiberent. Veteris itaque prophanati Altaris lapidibus sepositis, donec veniret Propheta, qui doceret, quid de illis fieri oporteret, alteroque ex rudibus constructo, Templo & Sanctuario restauratis, novisque sacris vasis confectis, & coronis aureis, aureisque clypeis ex hoste raptis ad sacræ ædis faciem appensis, die 25. mensis Casleu, eadem scilicet

cet die, eodemque menſe, quibus triennio ante prophanatio in Templum inducta fuerat, ſuper Altare Holocauſtorum Judæi Deo ſacrificium ſummo mane obtulerunt, ceteras ſimul ſacras cæremonias reſtituentes. Solemni præterea, hilarique apparatu per dies octo Templi dedicatio prorogata eſt; cujus quidem ſolemnitatis memoria edixit Judas una cum populo univerſo, ut quotannis in perpetuum eodem octo dierum ſpatio celebraretur (*a*). Judæi autem, ut malorum, quæ toto elapſo triennio in montibus tulerant, memoriam revocarent, imitati ea, quæ in Scenopegiæ Feſto gerebantur, ad Templum cum arborum, palmarumque ramis accedebant (*b*). Porro hæc celebritas in Evangelio *Encænia*, ſive Renovatio (*c*), ab Hebræis vero ob accenſas lampades, *Feſtum luminum* appellatur.

X. De reſtaurati in Templo cultus tempore nonnihil diſputatur. Primus Machabæorum Liber prophanationem integro triennio duraſſe diſertiſſime tradit (*d*). Alter vero Machabæorum Liber, Templum poſt biennium dedicatum, habet (*e*). Tandem Daniel Propheta prophanationi tres annos & dimidium tribuit (*f*); cui conſentit Joſephus (*g*). Nonnulli plures dedicationes inducunt. Sed melius ſimpliciuſque apparentes ille antilogiæ ita concilia- *Antilogiæ conciliatæ.*

C 3

(*a*) 1. Mach. IV. 36. &c.
(*b*) 2. Mach. X. 6.
(*c*) Joan. X. 22.
(*d*) 1. Mach. I. 57. & IV. 52.
(*e*) 2. Mach. X. 3.
(*f*) Dan. VII. 25.
(*g*) Joſeph. Præf. ad l. 1. de Bello. 62.

liatur. Judas post biennium a sui Ducatus exordio Templum dedicavit. Sacrificia ab incensa dirutaque Hierosolyma per Apollonium per tres annos & sex menses cessarunt, vel saltem infrequentia fuerunt. Triennium vero tantum transierat postquam a Gentilibus Jovi Olympico in Templo sacrificari cœptum est.

Judas Libros colligit, & Arces munit.

XI. Peracta Templi dedicatione, colligendis Libris, sæviente Antiochi persecutione dissipatis Judas suam operam impedit, montemque Sion & Bethsuram, quinque stadiis inde remotam, munivit, ut utraque hæc arx mutua ope se se tuerentur, ac Templum a præsidiariis militibus, totamque regionem ab aliis hostibus, præcipue ab Idumæis, defenderent.

Antiochus Templum Naneæ expilare tentat.

XII. Redeundum nunc ad infelix Antiochi iter. Movens Antiochia, & per Armeniam transiens, Artaxiam illius Regem fudit, cepitque. Cum in Persidem venisset, omnia ubique loca scrutatus est, in quibus aurum argentumque lateret. Veteris regionis Elam metropolis erat Elymais: post Persarum Imperium ea regio Persidis pars habita est; unde Elymaidis urbs obtinuit & Persepolis nomen; maxime cum Alexander Magnus, regio scorto incitatus, veterem Persepolim, Persidis Metropolim a Cyro constitutam, flammis delevisset (*a*). Templum autem Elymaidis, sive novæ Persepolis ditissimum erat, eo pluribus pretiosisque donariis a diversis Regibus, potissimum vero ab Alexandro Magno illatis. Hos the-

(*a*) 1. Mach. v. 1. & 2. Mach. IX. 2. Diodor. Arian. Plut. Curt. l. 5. c. 15.

thesauros expilare cupiens Antiochus, quo facilius voti compos fieret, vulgavit, se illuc venisse, ut Nanææ, sive Anaidi, Dianæ scilicet, aut Veneri, gentium illarum Numini, in Templo illo cultæ, nuberet. Sacerdotes ultro divitias illas Regi ostenderunt; sed cum Antiochus vidisse non contentus, eas dotis nomine eripere moliretur, cives, qui rem subodorati eo confluxerant, aperto oculto Templi aditu, lapidum nimbum in Antiochum & in satellitium impegerunt. Antiocho vix elapso cives graves instabant, eumque fuga sibi consulere coegerunt, militum pluribus obrutis, interfectisque. Quare iter Babylonem deflectere Antiochus coactus est. Cum prope Ecbatanam pervenisset, cladem suorum Ducum, restitutumque a Juda Templi cultum, & Hierosolymam munitionibus firmatam intellexit. Ingenti igitur raptus furore, aurigæ, iter quantocyus conficeret, imperavit, exitium Judæorum, Urbisque eversionem animo versans.

XIII. Cum magno currus ageretur impetu, ex eo ille decidit; quare distortis collisisque corporis membris, adjecto etiam viscerum dolore, misere discruciabatur. Cumque a terra elevatus gestatorio portaretur, de corpore ejus vermibus scaturientibus, viventi carnes decidebant, ita ut ob intolerabilem odoris gravitatem nemo exportare illum posset, eoque putore totus inficeretur exercitus. Unde iter Babylonem directum intermittere coactus est. Constitutus itaque in mortis limine agnovit ob injurias Judæis illatas in tanta se venisse *Falsa Antiochi pœnitentia, & miserabilis interitus.*

infortunia, palamque dixit, æquum omnino esse ut homo Deo subjiciatur, nec paria cum illo præsumat. Vovit deinde si convalesceret, se Judæis omnibus concessurum, ut suis deinceps uterentur Legibus; Templum elegantissimis muneribus ornaturum; vasa omnia quamplurimum aucta illi redditurum; sumptus ad sacrificia suppeditaturum; Judaicæ Religioni se ipsum addicturum; omnemque tandem locum Divinis laudibus prædicandis aditurum. Sed cum Deus his, dolore expressis votis, nequaquam flecteretur, minimeque illius dolores mitigaret, benevolentissimis ad Judæos scriptis litteris precabatur ut sibi, & filio suo Antiocho Eupatori, quem Regem jam designaverat, fidem servarent. Philippo autem totius Regni administratio, Lysia remoto, una cum Regia corona, vestibus, & annulo, commissa est, donec restituendi ea filio tunc novenni, tempus adveniret. Tandem dolore sanieque confectus, in montibus Parætacænæ, qui Persidem a Babylonia disterminant, in urbe ignobili Tabes occubuit (*a*).

Inter Philippum & Lysiam turbæ.

XIV. Regium cadaver Philippus asportavit; qui tamen in Syriam ad Antiochum Eupatorem non rediit, sed in Ægyptum ad Ptolomæum Philopatorem iter direxit, copias sibi comparaturus contra Lysiam, qui illum prævenerat, arcueratque a dignitate, cui destinatus fuerat a Rege. Lysias enim intellecta Epiphanis morte, statim Eupatorem ipsius filium ad thronum erexit, seque ab eo administratorem Regni creandum cura-

(*a*) 2 Mach. IX. cum Calmeto.

curavit, neglecta patris voluntate. Porro Lysias non tantum universi Regni negotiis præfectus est, sed speciale Cæle-Syriæ & Phæniciæ obtinuit gubernium. Ptolomæus enim Macror, qui eo munere functus fuerat, cum Judæorum jura tueri suscepisset, calumniis impetitus est, atque insimulatus, quasi adversus Eupatorem perfidiam meditaretur, quemadmodum olim, prodita Epiphani Cypro, ab Ægypti Rege desciverat. Quare vivendi pertæsus hausto veneno interiit (*a*).

Variæ Judæ & Fratrum victoriæ. Judæis finitimæ gentes excidium moliuntur. Sacrificia pro iis, qui cum Idolorum donariis cæsi sunt. Bellum inter Judam & Antiochum Eupatorem. Pax utrinque firmata. Menelaum excipit Alcimus in Sacerdotio.

C A P. V.

I. TImotheum, qui una cum Bacchide a Juda antea superatus fuerat, novo coactu exercitu ex copiis exteris, & equitatu Asiano, bellum in Judæos reparavit. Judas vero sociique humiliati coram Domino, ejusque ope implorata, Hierosolymis excedentes, procul ab urbe cum hostibus congressi sunt. In ipso autem pugnæ fervore quinque Angeli equitum specie adversariis se videndos exhibuere; tres in aere, duo vero circa Judam, armis

ANNO MUNDI 3840. ante Christum 160.

Judas Angelis protectus Timotheum fregit.

(*a*) 2. Mach. IX. 29. & an. 3840. X. 11. 12. &c. Usser. ad

mis suis illum protegentes, & tela in hostes jacientes. Interfectis autem 20500. peditibus, & 600. equitibus, Timotheus in arcem Gazaram, cui præerat Chæreas frater ejus, confugit. Sed eo etiam præsidio expugnato, e fovea quadam, in qua se ille occultaverat, eductus simul cum fratre, & Apollophane jugulatus est (a).

ANNO MUNDI 3841. ante Christum 159.

Omnes in Judæos conspirāt.

II. Post latum Antiochi Epiphanis edictum, quo deserere Religionem suam Judæi jubebantur, quælibet ex finitimis gentibus, & adversariorum singuli, audendi quodlibet in Judæos datam sibi potestatem censuerant, adjecerantque se se sponte copiis regiis in miseræ gentis perniciem. Præ ceteris hostium furorem experti sunt Judæi, qui terram Tobi incolebant, millibus circiter ex illis necatis, abductisque in captivitatem ipsorum uxoribus & filiis. Molitiones inimicorum intelligentes, qui erant in Galaaditide receperunt se se in munitionem Dathemæ, datisque litteris certiorem fecerunt Judam & fratres, ut prompta ope rebus succurreret suis, rogantes. Dum epistolas illas legeret Judas, alio a Judæis, qui Galilæam habitabant, solicitatus est nuncio, a quo Ptolemaidam, Tyrum, & Sidonem in illos conspirasse didicit. Quare coacto universo populo deliberavit, quid in re præsenti optimum censeretur factu. Decretum est, Judas & Jonathas frater ejus opem ferrent Judæis in Galaaditidem versantibus, Simon vero alius frater iis qui Galilæam incolebant. Ad defensio-

(a) 2. Mach. x. 24. 38.

ſionem autem & cuſtodiam Judææ relicti ſunt Joſeph & Azarias, onerati mandatis, ne manus cum quoquam conſerere, niſi poſt Machabæorum reditum auderent (*a*).

III. Simon itaque cum veniſſet in Galilæam, pluribus ſecundis præliis fregit, fuditque hoſtes, 3000. circiter ex illis cæſis, opimaque dives præda regreſſus eſt in Judæam; quo etiam Judæos tranſtulit, illorum ſaluti tutius conſulturus. Nec ſegniores Judas & Jonathas; tranſmiſſo enim Jordane, triduo per deſertum progreſſi ſunt. Euntibus occurrerunt Nabathæi, Arabiæ populi, qui cum ceteris illis gentibus in Judæos non conſpiraverant; amiciſſime autem ab illis excepti, narraverunt omnia quæ Judæis in Galaaditide contigiſſent, addentes, illos in munitiſſima urbe ſe ſe continere, ubi tamen arcta obſidione premebantur; ſtatuiſſe vero hoſtes mane alterius diei copiis ſuis omnibus eos aggredi, quo ſimul omnes exterminarent. His auditis Judas ſtatim copias duxit Beſor, captamque ſubita aggreſſione urbem vaſtavit incendio, maribuſque omnibus exterminatis, prædam ſecum abſtulit. Reliquum ejuſdem noctis impendit ducendis clam ſuis Dathemam, quo perveniens primo mane nactus eſt hoſtes ingenti clamore urbem jam jam invaſuros, quos ingenti pariter alio clamore obſeſſi excipiebant. Jam propius admovebantur ſcalæ, & aliæ machinæ, cum Judas trifariam diviſum agmen, inſtructumque in prælium duxit in hoſtes, nil tale timen-

Simon, & Judas hoſtes cædunt.

(*a*) 1. Mach. v. 9. &c.

timentes. Instare Judam cum vidisset Timotheus ipsorum Dux, alius profecto a Timotheo, quem Judas Gazaræ occiderat, vidit pariter sibi deesse sat temporis, quo exercitum divisum circa urbem, scalarique aggressioni occupatum, colligeret, instrueretque in prælium; quare & ille, & milites omnes fuga sibi consulendum censuere. Pone institit Judas, tantamque edidit cladem, ut ea die ad 8000. trucidarentur. Postea ad Maspham iter deflexit, eaque capta masculos omnes occidit, acceptisque spoliis urbem incendit; indeque movens cepit Chasphor, Maced, aliasque Galaaditidis urbes.

Josephi, & Azariæ temeritas. IV. Contraria omnia accidere Josepho, & Azariæ in custodia Judææ relictis; illi enim auditis Judæ fratrumque illius victoriis, nomen sibi quoque facere cupientes, contra Machabæi præceptum, copias duxerunt Jamniam, confertoque prælio cum Gorgia, prompta ex urbe eruptione in eorum occursum veniente, fusi ab illo fugatique, 2000. militum amisere (*a*).

Lysias superatus Judæ pacem offert. V. Lysias Eupatoris tutor, & Regni administrator, ægerrime ferens cladem, quam ipsi Judas intulerat, congregatis 80. hominum millibus, universoque equitatu, atque 80. elephantis, contra Judæos profectus est, eo intentus, ut & Hierosolymam Græcorum habitaculum, & Templum tributo obnoxium, & Sacerdotium vænale redderet. Judæam igitur ingressus, Bethsuram obsedit. Cui statim oc-

.cur-

(*a*) 1. Mach. v. 58.

currens Judas Angelum copiis suis instar equitis præuntem aspexit; ex quo exercitus omnis eam lætitiam, securitatemque exhausit, ut in hostes impavide irruentes undecim millibus peditum, equitibusque mille & sexcentis interfectis, ceterisque in fugam actis, ipsum Lysiam ad pacem offerendam compulerit. Machabæus publicæ utilitati consulens, assensit, significavitque, quid pro Judæis postularet, ut scilicet Judæi propriis Legibus viverent, & in Templo cæremonias sacras, ut libuisset, exercerent. Quæ ab Antiocho Eupatore concessa sunt omnia (*a*).

Quæ Judæis conceduntur, a Romanis firmātur.

VI. Tunc Menelaus, summus Pontifex ab Antiocho Epiphane olim creatus, facile ut gratiam iniret apud Judæos, a quibus numquam exceptus fuerat, ab Eupatore rescriptum impetravit, quo Judæis permittebatur, ut intra quindecim dierum spatium securi Antiochiam ad Regem accedere possent, quin illis ob præteritarum rerum memoriam quidquam molestiæ crearetur. Hinc suspicamur, inducias potius, quam pacem, inter Judam & Lysiam tunc sancitas fuisse. Sed quidquid illud tandem fuerit, Q. Memmius, & T. Manilius Romanorum Legati, qui tunc aderant, confirmarunt, solicitantes insimul, ut ea quæ adhuc minime stabilita fuerant de utriusque partis conditionibus, quantocyus apud Regem, quo proficiscebantur, resolverentur (*a*).

Judæorum hostes pacem abrumpunt.

VII. Judæi tutos se rati, agros colere cœperunt. Diu tamen ea tranquillitate frui non sunt,

(*a*) 2. Mach. XI. (*b*) 2. Mach. XI. XII. I.

ſunt, finitimorum populorum Ducibus, Timotheo, de quo jam egimus, Apollonio Gennæi filio, Hieronymo, Demophonte, & Nicanore Cypriarcha non niſi de turbanda quiete cogitantibus. Joppitæ quoque non minus, quam ducentos Judæos eam regionem incolentes, per comitatis ſpeciem in ſuas ſcaphas animi ergo relaxandi aſſumptos una cum uxoribus & liberis in mare detruſos obruere. Ut tam crudele facinus Judas ulciſceretur, proditores illico invadens, eorum navibus igne abſumptis, portum etiam incendit, gladio obtruncatis iis, quos flamma non voraſſet. Eodem tempore Jamnitas de Judæis a ſua urbe penitus evellendis cogitaſſe nuntiatum eſt; quos improviſo Judas adortus pares cum Joppitis fecit, adeo ut incenſi ipſorum portus ſplendor Hieroſolymam uſque, 240. ſtadiis remotam, apparuerit (*a*).

Timotheus a Juda victus.

VIII. Ultra Jordanem progreſſus Machabæus Timotheum in Galaaditide iterum oppugnaturus, cum quinquies mille & quingentis Arabibus commiſſo prælio, hoſtes fudit, & ad poſtulandam pacem adegit, pecora ſua operamque ei pollicitos. Chasbin deinde, vel Eſebon aggreſſus expugnavit, eaque cæde hoſtes affecit, ut adjacens ſtagnum cæſorum cruore rubuerit. Hinc ad Judæos, qui Terram Tobi incolebant, quique intra Characæ mænia ſe tuebantur, iter inſtitutum eſt. Timotheus re infecta inde diſceſſerat, valido tamen ibi præſidio relicto; quod Judæ Duces Doſitheus & Soſipater,

(*a*) 2. Mach. XII. 2. 3. &c.

ter, cæsis decem millibus, dissiparunt. Porro Timotheus post cladem, qua a Juda antea affectus fuerat (*a*), alium exercitum scripserat ex Arabibus aliisque gentibus implentem 120000. peditum, & 2500. equitum (*b*), missisque feminis, infantibus, & reliquis impedimentis in urbem Carnaim, vel Astaroth-Carnaim, sitam trans Jordanem, accessu maxime difficilem, castra locavit ad Raphon, seu Saphon ultra & ad Septemtrionem torrentis Jabok. Habebat Judas in armis tantum 6000. virorum, missisque exploratoribus, confertissimum esse agmen & ad aggressionem paratum intellexit. Statim autem movit in hostes, primusque torrentem trajecit, quem sui omnes secuti sunt; qua Judæ audacia attoniti hostes animis concidentes declinarunt in fugam. Timotheus futuri eventus omen captans ad suos dixerat: *Si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum; si vero timuerit transire, poterimus adversus illum* (*c*). Judas fugientibus gravis institit, & ad 30000. trucidavit. Ipse vero Timotheus in agmen Dosithei, & Sosipatris incidens, exposuit, magnam esse apud suos Judæorum multitudinem, quorum ratio nulla sperari posset, si ipse interficeretur. Cumque fidem dedisset, se eos illæsos restituturum, abire permissus est. Progressus inde Judas ad urbem Carnaim & fanum Astaroth, quo plurimi ex hostibus confugerant, incenso fano

cum

(*a*) 1. Mach. v. 34. Vide supra n. 3.

(*b*) 2. Mach. XII. 20.

(*c*) 1. Mach. v. 40. & 2. Mach. XII. 20.

cum omnibus qui in eo erant, everſaque urbe, jugulavit hominum 25000. Regredienti una cum Judæis omnibus, qui in transjordanicis ſedes habuerant, Ephron occurrit, urbs armis viriſque munita. Tranſitum poſtulavit Judas; negantibus vero incolis, vi urbem cepit, evertitque, ac ſuper 25000. trucidatorum corpora exercitum ducens tranſivit. Inde trajecto Jordane Bethſan, ſive Scytopolim venerunt; cumque in eam irruerent, teſtantibus Judæis loci incolis, ſingulari benevolentia ſe a Scytopolitanis habitos fuiſſe, gratias eis egerunt, & ut paria deinceps ſemper præſtarent, hortati ſunt. Tandem Hieroſolymam reverſi paulo ante Pentecoſten, ſacrificia pro tot tantiſque victoriis obtulere.

In pugna contra Gorgiam aliqui ex Judæis cæduntur.

IX. Ea ſolemnitate peracta prælium inter Judam & Gorgiam in Idumæa initum eſt; in quo nonnulli ex Judæis cecidere, præſentiſſimo tamen ipſius Gorgiæ periculo, cui imminens quidam Doſitheus vivum jam jam comprehenſurus erat, niſi Thrax eques prompte accurrens armum Doſithei præcidiſſet; quo data Gorgiæ via, ut ſe ſe alio reciperet. Poſt hæc de Gorgia nihil memoriæ proditum eſt. Cum autem ii, qui Eſdrin, unum e Judæ Ducibus, ſequebantur, diuturna pugna defatigarentur, Judas implorata Dei ope in Gorgiæ copias irruit, eaſque in fugam convertit. Collecto deinde in urbe Odolla exercitu, inſtante Sabbato omnes ſe purificarunt (*a*).

X. Poſt

(*a*) 2. Mach. XII. 33. &c.

Sacrificia pro cæsorum expiatione.

X. Post illius diei quietem ad Judæos in prælio illo interfectos tumulaturus Judas perexit, invenitque sub cæsorum vestibus quædam Idolorum Jamnensium donaria. Cum autem hoc Lege vetitum sit (*a*), omnibus patuit, hujus culpæ causa illos cecidisse. Judas tamen eos in Domino obiisse credidit; sive quod ante obitum illos pœnituisse censuerit; sive quod ex ablatæ rei levitate, aliisque adjunctis reputaverit, illorum culpam ex iis non esse, quæ a salute excludunt. Hinc argenti drachmas 12000. Hierosolymam misit, ut sacrificia, quæ mortuis adjumento essent, Domino offerrentur. Nunquam autem, addit sacer Scriptor, Judas pro illis preces fieri curasset, nisi vitæ restituendos sperasset, atque quædam esse crimina non censuisset, quorum venia in altera vita mortuis daretur. Negligimus autem Munsteri audaciam, hanc notam addititiam, & ex ora in textum illapsam ajentis; cum omnes Græci, Latini, & Syriaci Codices cum Vulgata conveniant, eamque Patres & noverint, & laudaverint, nullo dubio, aut vario. Ceterum ipsi Purgatorii hostes ultro fatentur fere omnes, de eo persuasos fuisse Judæos veteresque Christianos; illud autem tantummodo moliuntur, ut Librorum Machabæorum auctoritatem negent, arguantque superstitionis ea, quæ tam multis ab hinc sæculis & apud Synagogam, & apud Ecclesiam adeo pie sanctéque gesta sunt.

(*a*) Deut. VII. 25.

Judæ de Philisthæis victoriæ. XI. Secundum hæc, Judas Idumæos meridionales debellavit, domuitque Hebronem, & turres illius succendit. Per Samariam deinde progressus, ad Azotum deflexit, Philisthæorum aras ubique evertens, & Idola comburens; cumque magnam collegisset prædam, in Judæam tandem reversus est (*a*).

ANNO MUNDI 3841. ante Christum 159. *Judas Arcem Sionis obsidet.* XII. Arx, quæ Hierosolymis imminebat, in Syrorum fide adhuc perseverans, Judæis, cum Templum peterent, plura inferebat incommoda (*b*). Judas idcirco arcta illam cinxit obsidione, varioque tormentorum genere cœpit quatere. Quæ cum ad Antiochum Eupatorem delata fuissent, statim ipse una cum Lysia Regio Administro per Idumæam profectus venit Bethsuram, pejora, quam quæ a patre suo Judæis illata fuerant, minitans. Exercitum ducebat 100000. peditum, 20000. equitum, & 32. elephantum. His a Juda intellectis, prece ad Deum confugit, omissaque Arcis obsidione iter ad Bethzacharam prope Bethsuram direxit. Data deinde suis tessera, *Dei victoria*, fultusque strenuissimorum juvenum manu noctu usque ad Regis tentorium penetravit, cæsisque 4000. hominum, atque ex elephantis insigniori una cum iis, qui illi insederant, sparso etiam in castris terrore, cum illuxisset, recessit.

Regii exercitus dispositio. XIII. Antiochus provocari se a Juda intelligens, minimeque ignorans, illum in angustiis esse, Bethzacaram versus castra movit. Visum est omnium primum exponere elephantibus

(*a*) 2. Mach. v. 65. (*b*) 1. Mach. vi. 18.

tibus pannos quosdam succo uvarum, & mororum rubentes, quo scilicet belluæ suapte natura mitiores, aspectui cruoris sustinendo assuescerent. Nonnulli id factum credunt illis eferandis; sed in eam rem color albus opportunior fuisset. Cum autem arctior quam pro explicando exercitu, esset locus, in tres lineas divisum agmen ducere coactus est (*a*). Elephantes medium tenebant, quibus singulis imposita erat turris, duobus supra triginta sagittariis armata. Belluam moderabatur Indus, fulciebantque 1000. pedites, & 500. equites. Reliquis copiis imperatum, ut duo montis latera tenerent. Ita instructus Regis exercitus processit in prælium, militibus horrendum adeo insonantibus, ut omnes circum incolæ terrerentur. Terrori huic terror alius accessit ex aureorum æreorumque clypeorum fulgore, qui cum lucem Solis reflecterent, oculos perstringebant.

XIV. Eo apparatu nil motus est invictus Machabæi animus, sed tanta virtute restitit irruentibus, ut primo impetu 600. ex hostibus ceciderint. Ejus autem frater Eleazarus elephantem spectatæ magnitudinis, atque insigniter phaleratum intuitus, ratusque Regem illo vehi, per medias adversariorum acies viam sibi sternens, sub belluæ ventrem successit illamque confodit, sibi tamen simul interitum parans, ruentis pondere oppressus. Quod quidem facinus plerique excusant, cum vitam pro Religione & Patria discrimini objicere fas sit. *Eleazari facinus.*

D 2 Ad

(*a*) 1. Mach. VI. 32. &c.

Ad hæc, forte credidit Eleazarus, nunquam fore ut animal ſtatim ſuper ſe caderet.

Judæi in Templo ab Eupatore oppugnantur.

XV. Videns autem Judas imparem eſſe ſe tam valido hoſtium exercitui reſiſtendo; cauta ſeceſſione Hieroſolymam in Templo ſe ſe recepit. Rex ad Bethſuræ obſidionem reverſus, modo a Juda agebatur in fugam, modo colliſus abibat cum damno, Juda interim ad obſeſſos neceſſaria mittente. Cum res diutius protraheretur, Eupator propoſitis conditionibus Bethſuranos, qui ob annum ſabbaticum penuria laborabant, ad deditionem inflexit, captámque urbem, ſive arcem, munivit. Hieroſolymam deinde petens, e regione montis Sionis & Templi caſtra poſuit, ſtatuitque ibi, igni, lapidibus, teliſque jaciendis, machinas; quibus tamen obſeſſi alias machinas oppoſuere. Sed cum decurreret annus ſabbaticus, & ad propria ob ciborum egeſtatem Judæ milites dilaberentur, Bethſuræ infortunium Hieroſolymis imminere videbatur, niſi æmulatio, quæ inter Philippum & Lyſiam gliſcebat, a præſenti diſcrimine Judæos liberaſſet.

Pax inter Judam & Eupatorẽ conciliata.

XVI. Philippus igitur, quem Antiochus Epiphanes filii ſui Eupatoris tutela, & Regni adminiſtratione, ut diximus, moriens donaverat, fretus copiis, quas illi idem Epiphanes reliquerat, quaſque ſuppeditarat Philometor Ægypti Rex, Syriam ingreſſus, jus ſuum a Lyſia occupatum recuperare tentabat. Lyſias ubi hæc audivit, perſuaſit Eupatori, præſentem rerum conditionem id expoſcere, ut reductis in Syriam copiis, inſurgens belli civilis in-

incendium extingueretur; Hierosolymæ obsidionem satis diuturnam fore, exitum bellorum semper incertum, annonam exercitui deficere; denique e re publica esse, ut sancita cum Judæis pace, ipsi in amicitiam revocarentur. Datis itaque utrinque dexteris, interpositoque jurejurando pax firmata est, concessumque Judæis, ut juxta proprias Leges viverent, eaque libertate fruerentur, quam olim plures Reges illis concesserant, firmaverantque. Judam præterea Rex universæ regioni a Ptolemaida ad Ægyptum usque præfecit. Ingressus deinde urbem, munera Templo dedit, obtulitque sacrificia. Cum vero mœnia inspexisset, quibus Judæi locum munierant, violato sacramento, solo æquari præcepit. Antiochiam tandem reversus Philippum ibi dominantem oppugnavit, captaque urbe vi, ipsum interemit (*a*).

ANNO MUNDI 3842. ante Christum 158.

Occiso Menelao Alcimus sufficitur.

XVII. Dum Antiochus Eupator arma contra Hierusalem moveret, Menelaus, alio nomine Onias, qui antea summum Sacerdotium emerat, ad ipsum accedens, simulavit quidem, velle se pro Judæorum salute rogare, revera tamen id tantum intendebat, ut scilicet Hierosoymorum Principatus, & summi Sacerdotii liberum exercitium sibi assereretur. At Rex, hunc omnium malorum causam esse a Lysia intelligens, post illam expeditionem, eum secum Antiochiam duxit; qui deinde missus Beræam Syriæ, ibi, in turrim cinere oppletam conjectus, interiit. Vacuam dignita-

(*a*) 1. Mach. VI. 57. Joseph. Antiq. l. 12. c. 15. 62. & 2. Mach. XII. 13.

tem ab Antiocho obtinuit Alcimus, sacerdotali quidem familia natus, non tamen earum, quæ inter avos summos Sacerdotes numerarent; quod quidem Lysiæ arte factum est, ne scilicet in eisdem familiis grandis illas Dignitas perennaretur. Cum vero Alcimus, sæviente in Judæos Epiphanis persecutione fidem violasset, nemo Judæorum illum excipere voluit (*a*).

Demetrius Syria potitur. Bacchidis & Alcimi perfidia. Judæ Pontificatus. Raziæ facinus nemini imitandum. Judæ de Nicanore victoria, & de Onia & Jeremia visio. Fœdus Judæorum cum Romanis. Judæ interitus. Folardius revincitur.

CAP. VI.

ANNO MUNDI 3842. ante Christum 158. *Demetrius Syriæ Regnũ obtinet.*

I. DEmetrius, Seleuci IV. filius, cum obses Romæ moram traheret, instabat, ut per Senatum, in Regnum paternum, ab Epiphane injuste olim usupatum, ab eoque deinde Eupatori relictum (*b*), immitteretur. Renuentibus autem Romanis, quod rebus suis conducibilius existimarent, regi Syriam a puero Eupatore, quam a Demetrio viro, Demetrius ipse de Polybii consilio Roma clam cum octo sociis aufugit; quam fugam amici parata nave faciliorem reddidere. Ut in Lyciam venit,

(*a*) 2. Mach. XIII. 4. (*b*) Vide supra, c. 1. 8. Joseph. Antiq. l. 12. n. 1. & c. 4. n. 12. c. 15. & l. 20. c. 8.

nit, datis ad Senatum Romanum literis significavit, se Roma secessisse, non ut bellum Eupatori, a Senatu in Regno confirmato, pararet, sed ut Lysiam Regni administratorem coerceret, & Octavii Romanorum Legati, nuper in Syria occisi, mortem ulcisceretur. Cum Tripolim, maritimam Syriæ urbem, progressus esset, dictavit, se a Senatu ad occupandum paternum Regnum missum; quare cives illum ultro acceperunt. Inde Apamæa potitus, collectis copiis, recta Antiochiam Regni metropolim contendit. Eupator & Lysias arma in illum capere minime ausi ob Romanorum metum, ei amice occurrerunt. At Eupatoris milites, cum ipsum Eupatorem & Lysiam cepissent, vetuissetque Demetrius, ne coram se statuerentur, voluntatem illius intelligentes, utrumque statim necarunt. Eupator juxta Josephum biennio regnavit, ex aliorum vero sententia anno tantum & dimidio. Porro Demetrius cum Heraclidam ab ærarii Babylonici præfectura removisset, occidissetque Timotheum Babyloniorum Satrapam, ab iisdem Babyloniis primum Soteris, sive Servatoris nomen sortitus est (*a*).

ANNO MUNDI 3843. ante Christum 157.

Bacchidis & Alcimi perfidia.

II. Alcimus e summo Sacerdotio expulsus, ad Demetrium confugit, apud quem Judam Machabæum ejusque fratres tanquam Regis regiorumque amicorum hostes accusavit, rogavitque simul, ut in Judæam mitteret, qui illo-

(*a*) 1. Mach. VII. 1. & Legat. 114. Just. l. 34. c. 3. 2. Mach. XIV. 1. Polyb. Appian. Syriac. p. 117.

illorum scelus cognosceret, puniretque (*a*). Bacchidi exercitus Duci, & Mesopotamiæ Præfecto ea provincia statim destinata fuit, & Alcimo Pontificatus confirmatus. In Judæam autem ambo venientes nihil antiquius habuerunt, quam ut opprimerent Judam ejusque fratres, simulato paci tractandæ colloquio. Sed illi rem subodorati colloquium vitarunt. Alii autem minus cauti fuere; quos inter Assidæi, & Scribæ, sive Legis Doctores, qui inducere in animum non poterant, doli aliquid meditari Sacerdotem e genere Aaron. Accepto igitur amicitiæ sacramento, Alcimum, & Bacchidem convenere. Verum illico sexaginta ex illis trucidati sunt. Bacchides deinde Hierosolymam deserens, castra locavit ad Bethzecham, reditum in Syriam meditans; ex quo loco apprehendendos misit quamplures, qui partes illius deseruerant, atque e populo etiam aliquos; simulque omnes peremptos projici in quemdam vastum puteum imperavit. Provincia tandem universa manibus Alcioni remissa, illique congruis assignatis copiis, ad Demetrium rediit. Prospere res aliquanto temporis cessit Alcimo, ad quem plures desertores accedebant; quibus aucto exercitu regionem discurrendo vastabat. Sed non diu post Judas, cum superiora obtinuisset, ne ille amplius eadem tentaret, effecit.

Demetrius Nicanorē mittit in Judæam. III. Quare Alcimus imparem se adversario videns, ad Demetrium iterum se contulit, munus deferens aureum diadema, palmasque ac

(*a*) 1. Mach. VII. 5. &c.

ac ramos pariter aureos, e Templo facile sublata. Querelas autem suas adversus Judam instauravit, Regi maxime persuadens, nunquam illi futuram satis assertam in Judæa auctoritatem, quoadusque vir ille ageret in vivis. Gemina insinuabant Regi lateri adhærentes amici, quorum suggestionibus ita in Judam animatus est, ut veterem Judæorum hostem Nicanorem cum exercitu mitteret, mandatis oneratum, ut Judam vivum comprehenderet, deletisque ipsius fautoribus, Alcimum in summo Sacerdotio firmaret.

Judas & Nicanor quæ pacis sunt conciliant.

IV. Nicanoris adventus omnes Judæos terruit; cum autem prope castellum Dessau castra locasset, Simon Judæ germanus velitationem in hostes exercuit; nihil tamen prospere actum est. Nihilominus Nicanor Judæ, Judæorumque incredibilis virtutis conscius, Legatos ad eum misit, qui pacem componerent. Hi pluribus discussis convenere tandem, ut Judas & Nicanor in agrum descenderent ad colloquium; quod stato die feliciter faustèque factum est. Secundum hæc, Nicanor Hierosolymam venit, dimissisque copiis, quæ sibi opus minime erant, Judæ amicitia & consuetudine adeo utebatur, ut illi connubium filiorum desiderio suaderet.

Judas Nicanoris insidias declinat. An Pontificatum gesserit?

V. Hoc tamen amicorum fœdus ut dissolveret Alcimus, tertio Antiochiam se conferens, Nicanorem apud Regem accusavit, quod negotiorum ipsius dispendio Judam *sibi successorem destinasset* (*a*). Quæ quidem verba alii men-

(*a*) 2. Mach. XIV. 26.

mendacii arguunt; alii eo deflectunt, ut significent, Nicanorem neglectis Regis rebus Judam socium sibi atque amicum facere; alii de civili Principatu, Judæ confirmato, interpretantur; alii denique ad summum etiam Pontificatum referunt, rati, Nicanorem tunc Judæ illam dignitatem asseruisse, quam jampridem ipse ex Judæis post necem Menelai, aut eo adhuc in vivis agente, sed omnibus inviso, accepisset. Quæ quidem sententia amplectenda videtur. Tradit sane Josephus, post Alcimi mortem Judam ad summum Pontificatum erectum fuisse, quem triennio administraverit (a). Sed errare constat, cum Judas ante Alcimum obierit. Audiens Demetrius quæ ab Alcimo exponebantur, ira exarsit, statimque scripsit Nicanori, se ægre ferre societatem, quam cum Juda iniverat; jubere autem, ut illum catenis onustum Antiochiam mitteret. Nicanor invito sane animo hæc accepit; sed obtemperare coactus, tempus aucupabatur, quo Judam comprehenderet. Judas vero id, quod erat, suspicatus, suorum agmine utcumque instructo, Hierosolyma evasit, & insequentem Nicanorem ea vi repulit, ut hostium quasi quinque millia prope Capharsalama interfecerit. Cum tamen se universo Syrorum exercitui diu parem fore desperaret, in urbem regressus, Templum petiit; sed & inde discedens; in Samaritidem secessit. Nicanor & ipse Hierosolymam venit, ascendentique in montem Sionis quidam e Sacerdotibus, & popu-

(a) Joseph. Antiq. l. 12. c. 17. & 19.

populi Principibus obviam processerunt salutaturi, indicantes etiam holocaustum, quod pro Regis incolumitate offerebatur. Sed Nicanor subsannavit eos, & Judam sibi tradi postulavit.. Quibus se nescire, ubi ille delitesceret, respondentibus, contra Templum dexteram extendens: Nisi, inquit, Judam mihi vinctum tradideritis, cum victor rediero, istud Dei Templum solo æquabo, suffossoque Altari locum Libero Patri consecrabo. His auditis Sacerdotes Templum ingressi sunt, Deumque orarunt, ut Nicanoris minas irritas redderet, & blasphemias ulcisceretur (*a*).

VI. Tunc viri quidam nequam Raziam vitæ integerrimæ, & spectatæ sanctitatis senem, qui Pater Judæorum appellabatur, apud Nicanorem criminati sunt, forte quod rebus Judæ studeret, atque Alcimo adversaretur. Missis igitur 500. viris, Nicanor ad se illum deduci jussit, magni sane momenti apud Judæos futurum sperans, si tantum virum a Judaica Religione averteret. Cum milites ad Raziæ ædes pervenissent, vim foribus inferre, ignemque subjicere volebant; quas in angustias redactus Razias abreptum pugionem in suum pectus adegit, volens potius morte gloriosa oppetere, quam impiorum manibus permissus indigna genere suo tolerare. Cum vero, ut in re subita, vulnus sibi lethale non inflixisset, atque subire jam ædes milites cerneret, in solarium domus advolans, præcipitem se in viam deturbavit, totoque capite ex la-

Raziæ facinus.

(*a*) 2. Mach. xiv. 26. & 1. Mach. vii. 33.

lapsu confractus est; non ita tamen, ut penitus interiret; quare resumpto spiritu, in pedes se se recipiens, per medium populum currens, in præruptam petram evasit, ubi viscera e ventre extrahens, ambabus manibus in populum projecit; simulque Deo vitæ mortisque arbitro invocato, ut ab illo stata die in vitam revocaretur, animam efflavit.

Quid de eo facinore sentiendum.

VII. Hunc virum inter fortissimos Martyres Judæi recensent, ejusque, ac Saulis, & Sampsonis exemplo licere quandoque manus in se violentas inferre, demonstrant. Id autem fas esse arbitrantur. Primo, cum quis propriis diffidens viribus, ne forte persecutioni succumbat, timore adactus, spontaneo lætho vim adversariorum occupat. Secundo, quando in manus hostium incidens, sumpturos illos occasionem divinum Nomen blasphemiis proscindendi animadvertit. Circumcelliones, celebres Aphricæ Hæretici S. Augustini ætate, his exemplis illatam in se ipsos necem defendebant. Recentiores quidam Theologi Raziam excusant Sanctarum quarumdam exemplo, quæ sponte illata sibi nece Virginitatis suæ stupratores evaserunt. Addunt insuper, speciali sancti Spiritus ductu virum in necem procurrisse. Raziæ igitur pietatem, prudentiam, Legis studium, morientis orationem, firmam resurrectionis fiduciam, causæ justitiam, Religionis scilicet defensionem, commendantes, ajunt: Quis fieri potuisse credat, ut Deus militi suo ea in re deesset? Deus certissime viri animum movit, ut inusitatum aliquid tunc faceret,

quo

quo hostis perterrefieret, posthabitis tunc patientia, & modestia, quæ consueta sunt pii animi ornamenta (*a*). Verum SS. Augustinus & Thomas, aliique insignes Theologi, historiam illam referri quidem, nusquam autem laudari in sacra Scriptura, animadvertentes, nihil quod factum excuset, ex ea deduci posse autumarunt (*b*). Fortis quidem viri & apud Ethnicos magnanimi specimen exhibet; sed numquid satis cum Deo, ac præstitutis ab ipso Legibus constat? Numquam fas esse novimus ex illis malum agere, ut inde bona oriantur, neque crimen patrare, ne ceteri peccent (*c*). A Religione quidem, atque a studio patriæ gentisque suæ, & ab invocato inter moriendum Deo nomine ille in Scriptura celebratur. Utinam hæc tanta essent, ut facinus ex se contra Dei Legem executum, ex Dei illustratione factum comprobaretur! *Dictum est*, inquit, *Augustinus*, *quod elegerit nobiliter mori: melius vellem humiliter; sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi, non Martyres Christi* (*d*).

Judæ de Nicanore victoria. Onias & Jeremias Judæ in somno apparent.

VIII. Post hæc Nicanor, Judam in Samariæ regione substitisse intelligens, omni vi eum aggredi die Sabbati statuit, ratus futurum, ut Judæ milites eo tempore ægre manus consererent. Cum autem Judæi, qui in Nicanoris exer-

(*a*) Lyran. Serar. Francisc. Victoria, Tirin. q. 64. a. 5.
(*b*) August. ep. 204. Edit. Thom. 2. 2.
(*c*) Rom. III. 8.
(*d*) August. cont. Gaudent. l. I. c. 31.

exercitu coacti arma in fratres sumpserant, Ducem monuissent, ut ejus diei Religionem vereretur: Esto, respondit, inter Astra Omnipotens sit, qui Sabbatum a vobis observari jubet; ego tamen inter homines ea polleo auctoritate, ut contraria illius voluntati præcepta ferre valeam. Machabæus interim suos pluribus ex Lege, & Prophetis adductis consolabatur, excitabatque præterea eorum animos revocatis in memoriam victoriis, quas ipsi retulerant, enarratoque quod sibi obversatum fuerat in somnio. Per visum, ait, mihi occurrit Onias (tertium intellige), qui Dominum pro populo rogabat, indicansque Jeremiam, asseverabat, ipsum quoque ex ardenti amore, quo fratres suos prosequebatur, Judæorum & sanctæ Civitatis causam Deo enixis commendare precibus. Quin idem Jeremias gladium auro rutilantem mihi porrigens: *Accipe*, dicebat, *sanctum gladium*, *munus a Deo*, *in quo dejicies adversarios populi mei* (*a*). His in spem victoriæ erecti, ad arma convolarunt Judæi; cumque in hostium conspectum venissent, Judas ad Deum conversus, oravit, ut cujusdam Angeli ministerio Nicanorem Sennacheribo parem faceret, qui exercitu 185000. hominum cæso, inglorius ad propria remeavit. Ad Bethoron pugnatum est; ubi cum primus omnium ipse Nicanor cecidisset, reliqui abjectis armis profugerunt. Quos Judæi prosecuti sunt unius diei itinere ab Adasa ad Gazeram, classicum tubis clangentes. Egressi autem undique fratres tanto impetu in fu-

(*a*) 2. Mach. XV. 12.

fugientes irruerunt, ut non minus 35000. necati fuerint, ne uno quidem superstite relicto. Præcepit autem Judas, & caput Nicanoris & manus cum humero abscissa, Hierosolymam deferrentur; quo cum ipse pervenisset, populo & Sacerdotibus in Templum convocatis, accersitis iis quoque, qui Arcem tenebant, illa ostendit. Jussit deinde ejus linguam, quæ blasphemiis Deum impetierat, in frusta præcidi, & avibus edenda tradi; caput autem in Arcis fastigio, & manum, qua impius Dux Templo minitatus fuerat, e regione ejusdem sacræ ædis suspendi voluit. Statutum est deinde communi omnium suffragio, ut quotannis celebritas haberetur die 13. mensis Adar, qua die tanta victoria parta est (*a*); quod tamen festum successu temporis intermissum fuit, ac tandem penitus omissum. Hic secundi Machabæorum Libri historia explicit.

Fœdus Judæorum cum Romanis.

IX. Post cædem Nicanoris Judæa paucos dies a bello quievit, quibus Judas, cum de Romanorum potentia & humanitate erga afflictos omnes audivisset, quantumque sibi ab eis Demetrius Rex timeret, Eupolemum Joannis, & Jasonem Eleazari filium, legatos suos, fratrumque, ac totius Reipublicæ Judæorum nomine, Romam ad Senatum misit, ut societate & amicitia cum Populo Romano inita, a Demetrii jugo liberarentur. Comiter a Romanis excepti sunt, votique compotes facti, fœdus in tabulis æreis inscriptum, quod Hierosolymam secum deferrent, impetrarunt, ut Ju-

(*a*) 1. Mach. vii. 39. &c. & 2. Mach. xvii.

Judæi Romanis, & Romani Judæis mutua auxilia contra communes hostes exhiberent. Ad Demetrium etiam a Senatu missæ sunt literæ, ne Judæorum gentem amplius opprimeret; alioquin se a populo amico & fœderato omnem injuriam, bellum terra marique gerendo, propulsaturos (*a*). Huc spectat illud de Judæis Justini: *A Demetrio cum descivissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus* (*b*). Legati tamen non nisi post Judæ necem Hierosolymam rediere.

Judas a suis desertus prælium non recusat.

X. Ut igitur necatum Nicanorem, ejusque exercitum deletum Demetrius accepit, Bacchidem iterum, & Alcimum in Judæam misit. Recta Hierosolymam venerunt, cumque ibi Judam minime offendissent, Laisam, vel Lesen, quo ille diverterat, 20000. peditum, equitumque 2000. exercitum duxerunt, castraque metati sunt ad Berœam non procul ab hostibus. Quos ubi exercitus Judæ ex 3000. tantum hominum conflatus prospexit, plerique metu coacti, præter octingentos, diffugere. Desertum se a suis in tanta præliandi necessitate intelligens Judas, animis concidit, ideo maxime quod auxilia conquirere tempus non ferret. Virtutem tamen suam revocans ad officium, a confirmandis, qui supererant, non destitit; oggerentibusque, adeo parvam esse manum, ut potius quam pugna, dilatio certaminis quærenda esset, quo novarum copiarum

(*a*) 1. Mach. VIII. (*b*) Justin. l. 36. c. 3.

rum acceſſione agmen firmaretur: Abſit, inquit, ut hiſce ego conſiliis utar. Si fatalis inſtat hora, partæ jam gloriæ non fuga detrahendum, ſed virtute conferendum. Impavide pro fratribus dimicemus. Eo facile ſe redegerat res, ut majoris cenſeretur diſcriminis ſeceſſio quam prælium; manus enim conferendo, honori ſaltem & gloriæ gentis conſulebat. Multiplici etiam experimento norat, conditam apud ſe Deum habere victoriam, nec pro militum numero, ſed voluntatis arbitrio illam elargiri. His forte rationibus perſuaſum eſt Judæ ut 800 militibus tantum hoſtium exercitum aggrederetur. Quare temeritatis, tentatæque Providentiæ nota ab eo removenda eſt.

XI. Exeuntes igitur hoſtes e caſtris habebant ad utrumque cornu equites, præcedentibus funditoribus, & ſagittariis. In primo ordine ſelectiſſimi inter milites pugnabant, & Bacchides dexteram regebat. Buccinarum utriuſque agminis inſonuit clangor, reboantibus circum montibus, cumque dexterum inimicorum cornu, cui Bacchides præerat, præſtantius agnoviſſet Judas, in illud invectus, tanto contendit impetu, ut hoſtes ictum non ſuſtinentes, referre pedem cogerentur. Recedentibus, uſque ad Azoti montem victor gravis inſtitit. Sed reliquum exercitus Bacchidis Judam a tergo inſecutum eſt; quare medius inter duo agmina exceptus Machabæus, eorum impetum diu quidem tulit; ſed tandem multitudine obrutus ſuper ageſtam interfectorum *Judæ interitus.*

a se struem cecidit, atque ita Heros ille summus sexto sui Ducatus anno interiit. Simon vero & Jonathas fratris corpus Modin translatum, in avitum sepulcrum intulere. Populus autem tanto viro ingenti diuturnoque luctu parentavit. Hic exitus Judæ fuit, quem supremis Judaicæ Reipublicæ temporibus suscitavit Dominus Religionis assertorem, populique sui liberatorem. Ægre autem inter veteris Testamenti Heroas invenias, quem majora ornent virtutum decora, quibus homo pius simul & gloriosus efficitur.

Gloria victoriarum Judæ asseritur.

XII. Eques Folardius exaggerationi aliquid a sacro Scriptore datum fuisse existimavit, dum referret, ingentem hostium numerum quocum Machabæus paucis stipatus militibus manum plerumque feliciter conseruit. Alioquin, ait, Polybius ejus ætatis Historicus, qui res Asiaticas, non secus ac Romanas, scribebat, nunquam celebres adeo Machabæorum victorias vel ignorasset, vel siluisset. Ut tamen ab hac suspicione sacer Auctor absolvatur, satis erit animadvertisse, nullam ea quidem in re exaggerationem subodoratum fuisse Josephum, vicinum ætati Scriptorem, qui cum apud Græcos Judaicas Historias recitaret, cavisset utique, ne de victoriis hisce majora referret, quam pro rei veritate, metu scilicet ne cum Asiaticis Græci commixti narrationem suam erroris revincerent. Ex eruditis enim nemo ignorat, quanta cautione providerit ille, ut Græcis omnem calumniandi ansam præcideret; cujus rei gratia vel ipsam prodigiorum

rum

rum veritatem offuscandam interdum, vel etiam penitus dissimulandam censuit. Sed præ Josepho etiam multo validior est ad fidem extorquendam consensus inter Auctorem Libri prioris, & Auctorem alterum secundi Machabæorum. Scriptor uterque ejusdem ætatis, & ejusdem populi res gestas ita memoriæ consignabat, ut alter tamen alterius opus ne nosse quidem videretur. Diversa id evincit annorum supputandorum ratio, & in historia eadem circumstantiæ diversæ. In tanto autem utriusque discrimine mirus est utriusque Scriptoris, ad eam quod spectat inæqualitatem copiarum, consensus; ambo enim Judæorum minimo agmini immensum plane Syrorum opponunt. Silentium autem Polybii urgentibus reponimus, argumentum illud esse negativum, quo unico nihil evinci viris doctissimis dudum est animadversum. Ad hæc, e rebus Asiaticis ea tantum referre Scriptor ille meditabatur, quæ ad bellum Cæle-Syriacum inter Ptolomæum Philometorem, & Antiochum Magnum pertineret; quare Machabæorum victorias tuto negligere potuit.

Jonathas Judæorum Dux, cujus frater Joannes occiditur. Alcimi interitus. Bacchides repellitur. Alexander Bala a Romanis Demetrio opponitur. Hinc Jonathæ Principatus promovetur. Templum Onium. In causa Templi Samaritani cedunt Judæis. Aristobulus floret. Jonathæ de Apollonio victoria. Alexandri Balæ & Ptolomæi Philometoris interitus. Physcon in Judæos sævit. Jonathas Arcem Hierosolymæ obsidet. Tryphon in Demetrium Jonathæ ingratum rebellat. Fœdus cum Romanis & Spartiatis innovatur. Jonathas capitur.

CAP. VII.

ANNO MUNDI 3843. ante Christum 157.

Jonathas in Ducem eligitur, & Joannes illius frater occiditur.

I. SUblato Juda, omnis circum regio, dira vexante fame, Bacchidi deditionem fecit; in qua ipse viros impios constituit, nihil nisi de amicis Judæ exterminandis cogitans (*a*). Cum vero omnes qui Judæ studuerant, ad Jonatham fratrem illius confugerent, eumque pro Machabæo in Principem elegissent, Bacchides ad necem ipsum quærebat. Sed prava ejus consilia intelligentes ipse Jonathas, & Simon frater illius, ceterique earum partium receperunt se in desertum Thecue. Eo autem accurrente & Bacchide cum exercitu Jonathas fratrem suum Joannem ablegavit ad Nabuthæos amicos suos, rogans ut reciperent apud se ac ponerent in tuto impedimenta, quo in prælium expeditior procurreret exercitus. Sed filii Jambri, e Medaba urbe transjordanica erum-

(*a*) 1. Mach. IX. 24.

erumpentes, manus injecerunt in Joannem, eoque occiso impedimenta omnia abduxere. Diuturna tamen non fuit illorum lætitia. Cum enim didicissent Jonathan & Simon filios Jambri solemni pompa ducere e Medaba novam nuptam filiam viri Principis, insidias in sylva quadam moliti, inopinantes subito invasere, atque ex illis 400. occisis, ceterisque in fugam actis, prædam omnem asportarunt.

Prælium inter Jonathan & Bacchidem.

II. Regredientibus ab ea expeditione occurrit Bacchides die Sabbati, eoque Jonathan adegit, ut locum teneret, cujus fronti imminerent hostes, tergum clauderet Jordanes, dexterum lævumque latus nemora & paludes. Hinc Jonathas hortatus est suos, ut cælitus implorarent sibi opem, ob oculos exponens, in qua versarentur seu vincendi, seu moriendi necessitate. Tum ventum est ad prælium, ac Bacchidem habens in conspectu, manum extulit Jonathas infligendo in hostem vulneri; sed alter ictum evitavit, reflectens se retro. Tandem Jonathas cum suis, post cæsos ex hostibus 1000. metuens, ne ingruente multitudine opprimerentur, Jordanem transgressus est, aspicientibus, nec prohibere valentibus adversariis. Bacchides Hierosolymam reversus plures in Judæa urbes munivit, Principumque filios in obsides acceptos in Arce Hierosolymitana custodiendos collocavit (*a*).

Anno Mundi 3844. ante Christum 156.

Alcimus a Deo percussus obiit.

III. Post Judæ interitum Alcimus caput erexerat, & Judæorum Sacra libere administrabat. Sed brevi felicitas hæc evanuit: cum enim

E 3

(*a*) 1. Mach. IX. 43. 53.

nim subruere aggrederetur parietem interioris Atrii quo Sacerdotes a populo dividebantur, opera Prophetarum Aggæi, & Zachariæ excitatum, a Deo paralysi percussus interiit, quarto circiter Pontificatus, sibi malis artibus parti, anno. Post Alcimum septem annorum spatio vacavit Pontificatus ob turbas in Judæa excitatas; septennio autem elapso dignitas illa ad Jonathan Machabæum transivit (*a*).

ANNO MUNDI 3846. ante Christum 154.

Post repulsum Bacchidem Jonathas populum moderatur.

IV. Mortuo Alcimo, cujus potissimum gratia Bacchides in Judæam venerat, Antiochiam ad Demetrium reversus est. Cum Jonathas, & socii quieti & securi in loco suo habitarent, biennio post Judæi aliqui apostatæ Bacchidem monuerunt, posse eos omnes una nocte comprehendi. Bacchides cum copiis in Judæam profectus, per epistolas amicis suis jussit, ut Jonathan ejusque asseclas vinctos ad se perducerent. Sed consilio detecto, quinquaginta ex seditiosis Jonathas cepit, quibus interfectis, una cum fratre suo Simonem in arcem Bethbessen, sive Bethalagam in deserto Jerichuntis se recepit. Ibi vero a Bacchide obsessus, ejus vim primo repulit; deinde ab arce egrediens, Odomeram, & fratres ejus, filiosque Phasiron percussit, hostium plurimos contrivit, agrumque tenuit. Simon etiam in Bacchidem egressus, belli machinas, & hostium copias delevit. Quare iis, qui eum advocarant, Bacchides iratus, eorum pluribus interemptis, una cum reliquo exercitu in Syriam regredi decrevit. Quod ubi cognovit Jonathas,

(*b*) Joseph. Antiq. l. 20. c. 7. & Usser. ad an. 3852.

thas, per ablegatos suos de pace componenda cum Bacchide egit; qua firmata, redditisque captivis Bacchides Antiochiam venit, nunquam deinceps in Judæam reversurus. Jonathas vero constitit in Machmas Tribus Benjamiticæ urbe, indeque absoluta potestate Judæos moderari cœpit, ut olim Judices, Josue successores, præstiterant, in id potissimum intentus, ut improbos ex Israele exterminaret. Hierosolymis autem idcirco sedem non constituit, quod Arx a Demetrii præsidio adhuc occuparetur.

V. Post quinquennium orta inter Demetrium & Alexandrum æmulatio provehendis Judæorum rebus multum sane contulit. Alexander igitur Bala, sive Balles, filium se Antiochi Epiphanis jactans, cujus revera vel non erat filius, vel ad summum nothus erat ex Bala concubina, apud Romanos, Judæos, Syros, & Ægyptios fidem invenit. Utile namque omnibus erat, ut res ita se se haberet, quo aliquis Demetrio, Romanis suspecto, Judæis odioso, Syris neglecto, & Ægyptiis formidando, opponeretur. In nummis *Theopator Evergetes*, scilicet Dei filius Beneficus cognominatur. Primum cognomen indicat Epiphanem inter Deos relatum fuisse, turpemque Alexandri originem celat; alterum sibi ille adoptavit, quo populorum amicitiam aucuparetur. Porro Heraclides Byzantius, quem Demetrius tributorum Babyloniæ procurationis munere spoliaverat, Alexandrum & Laodicen Antiochi Epiphanis filiam, Romam cum duxisset,

ANNO MUNDI 3851. ante Christum 149.

Regnum Syriæ a Romanis Alexandro Balæ asseritur.

plurium Senatorum animos adeo sibi muneribus vindicavit, ut Alexandrum Antiochi nothum esse illis persuaserit. His ita dispositis, Alexander & Laodices in Senatum venere, ipsius opem ad paternam hereditatem, & Syriæ Regnum, a Demetrio usurpatum, repetendum postulantes; quos & Heraclides longa oratione juvit. Licet vero Senatorum prudentissimi technam struí animadvertissent, causa tamen votorum pluralitate Alexandro adjudicata est. Statutum idcirco, Alexandrum & Laodicen patris sui Imperium capessere posse, & Senatum Populumque Romanum illis opem laturos. Tum Heraclides copias conscribens, Alexandro & Laodice Ephesum ductis, bellum Demetrio inferre serio paravit.

ANNO MUNDI 3852. ante Christum 148.

Demetrius Jonathæ amicitiā quærit.

VI. Alexandro in Syriam venienti Ptolemais, quam iratæ Demetrio copiæ occupabant, portas aperuit (*a*). Demetrius æmulum suum valida Phænicum urbe, & portu maritimo potitum intelligens, datis ad Jonatham litteris, Judæorum amicitiam aucupari conatus est, ratus, tuentibus partes suas Judæis, in Palæstina Alexandrum difficile progressurum. Illis autem litteris Jonathæ concedebatur, ut milites conscriberet, arma fabricaret, & obsides, qui erant in Arce Hierosolymitana, parentibus redderet. Jonathas hac facultate auctus Hierosolymæ sedes fixit, remissisque obsidibus, instaurandis urbis mœnibus sedulo incubuit. Hostes timore perculsi fugerunt ex munitionibus, quas Bacchides sive extruxerat, sive firma-

(*a*) 1. Mach. x.

maverat. In Arce tamen Hierosolymitana Syrorum erat præsidium, & Bethsuræ aliqui ex apostatis subsistebant.

VII. Nec rebus suis consulendis segnior fuit Alexander, qui Jonathæ missa purpurea veste, & aurea corona, ipsum constituit summum Pontificem; quam quidem dignitatem ipsa Tabernaculorum solemnitate primo exercuit, novem annis a Judæ nece, & septem ab Alcimi obitu. Utrum vero Jonathas populi electione, an Alexandri facultate, Pontificis munus inierit, nescimus. Sed neutram defuisse vero propius est, exoratumque a populo Jonathan, ut oblatam a Rege dignitatem acciperet. Inclinante autem Jonatha cum populo in Alexandrum, conscribenteque exercitum, & arma fabricante, Demetrius indoluit, novisque litteris ad Judæos scriptis, debita, tributa, vectigal pro sale, coronas, quæ quotannis illi exhibendæ erant, dimidium fructus nemorum, sive arborum, & tertiam seminis partem remisit. Hierosolymam liberam omnino, exemptamque a præsidio externo, & asylo ornatam, declaravit. Arcem Sionis summi Sacerdotis propriam esse voluit. Indulsit, ut per triduum ante & post gentis Solemnitates populus tuto libereque ad Templum accederet, quin tributi aliquid expeteretur ob ea quæ ad Urbem tunc temporis deferrentur, vel inde referrentur. Permittebat ut in exercitu suo ad 30000. Judæorum adscriberentur; utque propriis Legibus viverent, propriosque haberent Judices, apud quos causas suas dicerent.

Anno Mundi 3854. ante Christum 146.

Demetrius a Jonatha relictus Regnum & vitam amittit.

Ho-

Horum autem aliorumque donorum prolixa pollicitatione Rex Judæorum ambivit amicitiam; frustra tamen, quod & Alexandro prius accessissent, & tam profusa promissorum copia parum probabilis videretur, & recordarentur eorum, quæ ipse & majores sui in Judæos exercuerant. Alexander igitur ingenti comparato exercitu tum e Syris, qui a Demetrio desciverant, tum ex iis, quos Attalus Rex Pergami, Ariarathes Rex Cappadocum, Ptolomæus Philometor Rex Ægypti, & Jonathas Judæorum Princeps miserant, prælium cum Demetrio commisit, in quo dexterum quidem Alexandri cornu a sinistro Demetrii fugatum est; sed dexterum, quod ab ipso Demetrio ducebatur, loco cessit. Demetrius autem a suis relictus, solus restitit; & fortissime dimicans, in cœnum lapsus, & equo dejectus, telis confossus est, postquam duodecim annis Regnum tenuisset (a). Geminos filios reliquit Demetrium Nicanorem, & Antiochum Sidetem, quos pater Cnidum ad amicum suum miserat, ut si ita sors tulisset, paternæ ultioni servarentur.

Jonathas Alexandri amicitia fruitur.

VIII. Alexander Syriæ Regno potitus Ptolomæi Philometoris amicitiam confirmare studens, filiam ipsius Cleopatram in uxorem impetravit. Duobus autem Regibus Ptolemaidam ad nuptiarum celebritatem convenientibus, Jonathas etiam regali apparatu, indutusque pur-

(a) Justin. l. 35. Appian. Syriac. p. 131. Joseph. Antiq. l. 13. c. 5. 1. Mach. x. 50.

purpura interfuit; cumque eum adverſarii quidam apud Alexandrum accuſaſſent, non modo inauditos illos Rex dimiſit, ſed Jonatham ſibi aſſidere juſſit, cavens præterea ne a quoquam impoſterum de re vel minima inſimularetur. Ad hæc, ipſum conſtituit Ducem & participem Principatus; quam auctoritatem alii intra Judææ fines claudunt, alii ad univerſum Alexandri Regnum extendunt. Quibus honoribus auctus Jonathas Hieroſolymam rediit (*a*).

IX. Porro Ptolomæus Philometor, ejuſque ſoror & uxor Cleopatra adeo Judæis fidebant, ut illis in toto Ægypti Regno præſidia committerent, atque Doſitheum & Oniam copiarum Duces crearent. Onias autem Oniæ III. ſummi Pontificis filius erat, qui a patruorum Jaſonis & Menelai ambitu, atque Regum Syriæ injuſtitia prohibitus, Pontificatum nunquam conſecutus fuerat. Mortuo tamen Menelao paternam dignitatem ſe adepturum ſperabat; ſed ſubſtituto Alcimo, ſpe omni deſtitutus, in Ægyptum profectus, Philometoris & Cleopatræ animos ſibi devinxit (*b*). *Judæi in Ægypto florent.*

X. Circa hæc tempora, quibus Pontificatus ad Machabæorum familiam translatus fuerat, idem Onias æternam ſibi memoriam parere volens, Regi & Reginæ ſignificavit, ſe dum bello operam navaret, animadvertiſſe, apud Cæle-Syriam, Phæniciam & Leontopolim in Ægypti Præfectura Heliopolitana, aliiſque in lo- *Onias Templum Onium Deo conſecrat.*

(*a*) 1. Mach. x. 60. Appion. p. 1064.
(*b*) Joſeph. l. 2. cont.

locis, Judæos habere Templa vero Deo consecrata (*a*). Cum autem ex variis hisce Templis plura orirentur dissidia, iis auferendis rogare se, ut Templum, quod apud castrum agrestis Bubastis invenit, nulli sacratum Numini, jamque collapsum, repurgare sibi liceret, & aliud ejus loco Deo maximo extruere ad Hierosolymitani similitudinem, ut Judæi, qui Ægyptum incolunt, illic convenientes, quo magis colerent mutuam concordiam, eo Regis usibus commodius inservirent. Addebat Isaiæ Prophetæ oraculo prædictum fuisse, sacrum Deo Israelis Templum in Ægypto futurum. Oniæ postulatis Rex & Regina annuere; cum tamen difficillime sibi suaderent, Deo gratum fore Templum, in loco turpi, animalibusque oppleto erectum, si quid ea in re divinæ Legi fieret adversum, criminis consortes omnino se nolle esse testati sunt. Verum ille in sententia perseverans Templum suis, & ceterorum Judæorum opibus erexit ad formam quidem Hierosolymitani, amplitudine tamen, & magnificentia satis inferius. Nullum ibi erat candelabrum, sed aureo lychno, catena pariter aurea e laqueari suspenso locus collustrabatur; cui etiam Sacerdotes & Levitas addixit, qui in eisdem, quæ Hierosolymæ, cæremoniis, & ritibus exercerentur. Rex concessit agros, & pecuniæ reditus, ut necessariis expensis nihil deesset. Hujus autem Templi cultores in schismaticorum censum a Judæis Palæstinis referebantur; nec immerito, cum

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 6. de Bello, l. 7. c. 30.

eum in Lege cautum esset ne extra locum a Deo electum, Hierosolymam scilicet, sacrificia sibi offerrentur. Quamvis autem nemo nobis referat Isaiæ vaticinium, ab Onia laudatum, illud tamen his verbis comprehendi non dubitamus. *In illa die erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus* (monumentum) *Domini juxta terminum ejus* (*a*). Perperam autem Onias ad statuminandam ambitionem suam illo textu usus est, cum Propheta non nisi Altaria in Ægypto & in toto Terrarum Orbe a Christianis excitanda respiceret. Ut quid enim Isaias ceu grande aliquod & singulare beneficium a Deo conferendum prædixisset Oniæ Templum, quod impurum fuit, & prophanum? Porro oppidum, in quo Templum illud conditum fuit, in urbem deinde transiit totius dominii Heliopolitani metropolim. Tandem credimus, Oniam Synagogas, vel Proseuchas, sive Oratoria spectasse, cum diceret, Judæos passim Templa habuisse.

XI. Sub eodem Philometore agitata est inter Judæos & Samaritanos controversia, singulis pro Templi sui excellentia, illis quidem pro Hierosolymitano, istis vero pro Templo in monte Garizim, quod scilicet unicum esset, ubi Deus juxta Moysis mandatum coli voluisset, pugnantibus. Delata ad regium tribunal causa, solemni coram Philometore promissione, interposito etiam juramento, conventum est, utri in causa cederent, deductis tan-

In causa Templi Samaritani cedunt Judæis.

(*a*) Isa. xix. 18.

tantummodo ex Libris Legis testimoniis, eos capitali suplicio multari. Rex utraque parte audita, agentibus pro Samaritanis Sabæo & Theodoro, pro Judæis autem Andronico filio Mesalami, sententiam pro Judæis tulit, quam statim supplicium Oratorum gentis Samaritanæ subsecutum est (*a*).

Aristobulus Philosophus Judæus.

XII. Floruit hoc eodem tempore Aristobulus, Judæus ex genere sacerdotali, Philosophus Peripateticus, & Regis Ægypti præceptor (*b*); quem quidem Regem alii eumdem Philometorem putant, alii Physconem sive Evergetem. S. Clemens Alexandrinus laudat primum Aristobuli librum, inscriptum Philometori, in quo asseritur, ante Versionem Septuaginta alteram præcessisse, ex qua Pythagoras & Plato plura hauserint (*c*). Anatolius ab Eusebio laudatus scribsit, hunc Aristobulum ex 70. Interpretibus unum fuisse, & Commentarium in Libros Moysis edidisse, Ptolomæis Lago & Philadelpo nuncupatum (*d*). Sed hæc omnia uni eidemque viro convenire nequeunt, cum Lagus centum circiter annis ante Philometorem obierit.

ANNO MUNDI 3856. ante Christum 144.

Demetrius Nicanor Syriæ Regnum tentat recuperare.

XIII. Alexandro Bala in ganeo & lustris interea socorditer jacente, amicus ejus Ammonius Regnum administrabat, qui auctoritate sua abutens, Regis amicos una cum Laodice Antiochi Epiphanis filia, & Antigono De-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 1. Strom. 13. c. 6.

(*b*) 2. Mach. 1. 10.

(*c*) Clem. Alexand. l.

(*d*) Euseb. l. 7. Histor. Eccl. c. 32.

Demetrii filio occidit (*a*). Vix autem duo Alexandri Regni anni elapsi fuerant, cum Demetrius Nicanor, Demetrii Soteris filius natu major, audita illius luxuria, malisque ex ea ortis, de recuperando paterno Regno consilium inivit, & nonnullis copiis a Lasthene Cretensi acceptis, in Ciliciam venit. Alexander tunc temporis in Phænicia commorans, vix horum certior factus, Antiochiam remeare festinavit, ut ante Demetrii adventum rebus suis consuleret.

Jonathæ de Apollonio victoria.

XIV. Apollonius Dans Cæle-Syriæ Præfectus ab Alexandro ad Demetrium defecerat; a quo Dux sui exercitus constitutus, in Judæos movit, qui in Alexandri fide perseverabant. Cum Jamniam pervenisset, Jonatham in campestria ad prælium invitavit, exprobrans, quod timore correptus ad montium cacumina confugisset. Jonathas exprobrationis impatiens, assumpto Simone fratre suo, ac 10000. selectissimorum, subito ante Joppen stetit, quam primo defensionem parantem, mox oppugnationem pertimescentem, reclusis janus in fidem recepit. Apollonius his auditis Azotum usque exercitum ex 8000. peditibus, & 3000. equitibus perduxit, mille insuper equitibus in insidiis juxta torrentem relictis, ut Judæos a tergo infestarent. De quibus tamen certior factus Jonathas copias in quadrato oblongo ita disposuit, ut hostibus quocumque ex latere obverterentur, datoque insuper singulis mandato, ne ex ordinibus egressi

(*a*) Liv. l. 5. Joseph. Antiq. l. 13. c. 8.

si pugnarent, sed collato pede vim inimicorum sustinerent. Equitatus Apollonii diem insumpsit jaculandis telis, quibus ab hostibus in clypeos exceptis, irrito labore lassatus est. Inclinante die, Jonathas in adversarios irruit; quem impetum declinantibus equitibus, pedites sustinere non valentes, in fugam dispersi sunt; multosque, qui in Templum Dagon prope Azotum confugerant, Jonathas assecutus, una cum Templo concremavit. Incendit autem & ipsam Azotum cum aliis civitatibus vicinis, earumque spolia accepit. Tunc absumpti fuerunt 8000. virorum. Inde movens Jonathas, ad Ascalonem castra posuit, cujus cives ipsum honorifice excepere. Sicque reversus est Hierosolymam præda onustus. Quæ cum ad Alexandrum delata fuissent, novis honoribus Jonatham auxit, aureamque illi fibulam, solis Regibus concessam, misit, addita etiam Accaronis Toparchia (*a*).

Jonathas a Philometore honorifice excipitur. Syria Demetrio Nicanori asseritur.

XV. Ptolomæus interea Philometor, Alexandri socer, Syriæ Regnum Ægypto addere cogitans, clam per fraudem agebat ut & Demetrium, & Alexandrum, Regno, de quo utrique contendebant, ipsis erepto, perderet. Coactis igitur copiis, & genero opem ferre simulans, Syriam ingressus, a cunctis civitatibus ut amicus exceptus est; tum ipsis potitus, in vulgus sparsit, Alexandrum positis Ptolemaide insidiis necem sibi intentare. Ad illum Jonathas Joppen venit, ubi a Ptolomæo magna honoris significatione exceptus est, frustra oppo-

(*a*) 1. Mach. x. 18.

opponentibus incolis cadaverum ab ipso interfectorum acervos, Templum Dagonis incensum, destructumque Azotum. Jonathas vero usque ad Elutherum fluvium, trans Phœniciam, Regem prosecutus, Hierosolymam rediit (*a*). Ptolomæo itaque Antiochiam nemine obsistente progressus, Syriæ thronum occupavit; quem tamen sibi retinere noluit. Cleopatra enim filia Alexandro erepta, & Demetrio Nicatori tradita, Antiochenos exoravit, ut novum generum suum in Regem exciperent; se Ægypti Regno contentum, nonnisi Syriæ tutorem futurum, cujus Imperium illi detulissent. Antiochenis annuentibus Demetrio Syriam donavit.

XVI. Alexander, qui in Ciliciam confugerat, ingenti comparato exercitu, adversus Philometorem & Demetrium profectus, ad Œnæparam fluvium certamen iniit; quo prælio victus, in Arabiam secessit. Arabum vero Princeps nomine Zabdiel caput illius amputatum ad Philometorem misit. Porro Alexandro Balæ filius superstes fuit Antiochus appellatus *Deus*. Ptolomæus autem Philometor contracto in eo bello gravi in capite vulnere, de medicorum consilio terebrandum se committens, vulneris dolore occubuit. Demetrius autem, quod Alexandrum a familia sua alienum vicisset, idem cum Seleuco I. regiæ stirpis auctore, Nicanoris, sive Nicatoris cognomentum accepit; qui tamen Ptolomæi beneficiorum oblitus, in milites illius sæviit, coegit-

ANNO MUNDI 3859. ante Christum 141.

Alexander Bala, & Ptolomæus Philometor occiduntur.

(*a*) 1. Mach. xi.

que in Ægyptum concedere, elephantis in sua potestate retentis.

Novus Ægypti Rex Physcon in Judæos sævit.

XVII. Mortuo Philometore, cum Cleopatra filio suo adhuc infanti, legitimo heredi, Regnum servare vellet, Ptolomæus vero Evergetes, aliter Physcon, Philometoris frater, ei obsisteret, Oniam Regina adhibuit, ut illius vim infringeret. Quare Onias quorumdam Judæorum exercitu instructus, Alexandriam se contulit, in eaque excitatam seditionem cohibuit. Ptolomæus autem in illum movit, simulque statuit, Judæos omnes Alexandrinos ad elephantes damnare. Divinæ tamen Providentiæ consilio factum est ut quas belluas in Judæos arte incenderat, illæ converso in suos furore passim sævirent. Quo prodigio permotus Physcon, accedentibus cujusdam incogniti viri terribili vultu minis; precibusque simul Irenis concubinæ, quam præ ceteris deperibat, miseris tandem indulsit. Hæc Josephus, quem Physconem cum Philopatore confudisse, quæque sub isto acciderant, alibi a nobis narrata (*a*), illi deputasse, rentur quemplures. Physcon cum Cleopatra sorore sua, atque fratris sui Philometoris vidua dissidiis finem impositurus, nuptias ejusdem feminæ requisivit; quibus initis, statim Alexandriæ receptus, Rex salutatus est. Novæ dignitati asserendæ, eadem nuptiarum die, in ipsis matris suæ ulnis puerum principem nepotem suum occi-

(*a*) Joseph. contra Apion. l. 2. Vide hanc Histor. l. 8. c. 8. n. 12.

occidit, omnesque ei adhærentes, inter quos fortasse & ipsum Oniam sustulit.

XVIII. Interim Jonathas res Syriæ turbatas in rem suam convertens, Hierosolymæ Arcem obsedit. Qua de re ab improbis quibusdam Demetrius Rex instructus, Jonatham compellavit, ut omissa statim obsidione secum ad colloquium veniret. At ille obsidionem nequaquam solvit; adeundi tamen Demetrium iratum discrimini se se committens, Ptolemaidem ad Regem profectus est, comitantibus Optimatibus, & Sacerdotibus, oblatisque opimis muneribus causam suam ita egit, ut Demetrius rejectis calumniatoribus illum in dignitate cum sacra, tum civili confirmaverit, præcipuumque inter amicos locum tribuerit. Quin 300. talenta promittenti totius Judææ, & trium Toparchiarum ei adjectarum, scilicet Apherimæ, sive Ephrem, Liddæ, & Ramathæ ab omnibus tributis immunitatem concessit (*a*).

Jonathas Hierosolymitanam Arcem obsidet.

XIX. Demetrius pacatum videns Regnum, retentis peregrinis militibus, quos ex Creta, aliisque insulis coegerat, domesticos omnes ac veteranos, qui soliti fuerant ab aliis ante eum Regibus etiam tempore pacis stipendia accipere, dimisit; qui propterea inimicitias exercere cum illo cœperunt. Hanc alienationem animadvertens quidam ex Alexandri Balæ Ducibus Diodotus, qui postea Rex Syriæ factus Tryphonis nomen assumpsit, in Arabiam profectus, Emalchuelem illius gentis Principem soli-

Diodotus, qui & Tryphon, in Demetrium rebellat.

(*a*) 1. Mach. XI. 20. 30.

solicitavit, ut sibi puerulum Antiochum, quem idem Bala ex Philometoris filia procreaverat, crederet, ad Regnum patris sui evehendum. Ægre, ac vix diu roganti annuit Emalchuel. Demetrius hæc ignorans, immunemque se ab omni periculo ratus, inusitatis suppliciis omnes qui in bello ipsi adversati fuerant, occidit, incitante Lasthene, quem Rex loco patris venerabatur, totique Regno præfecerat. Quare Syriis Demetrius magis magisque invisus factus est.

Demetrius Jonathæ ingratus.

XX. Cum Jonathas Regem rogasset, ut præsidiarios milites ex Arce Hierosolymitana amoveret, quod Israelitis essent infesti, non modo hoc ei se concessurum, sed in eum amplissimos etiam honores collaturum promisit, modo auxiliares sibi copias actutum mitteret, locum a suo exercitu derelictum occupaturas. Morem gerente Jonatha 3000. selectorum ad Demetrium missa sunt. Externis igitur copiis fidens Rex, arma Antiochenis rebellantibus auferri præcepit; qui non modo non paruere, sed facta seditione, arreptisque armis centum viginti millia Regem in suis ipsius ædibus obsedere. Ad illius autem auxilium Judæi omnes, tum qui in urbe erant, tum quos Jonathas nuper miserat, concurrentes, centum millibus ex rebellantibus trucidatis, incensaque urbe, reliquos, ut ad Demetrii clementiam confugerent, coegere; quibus peractis gloria spoliisque onusti Hierosolymam reversi sunt. Tanto autem beneficio minime respondit Demetrius, qui omnium promissorum oblitus, conceptoque

que in Jonatham odio, bellum minitatus est, nisi redderet tributa omnia, quæ Judæorum gens olim pendere solebat.

XXI. Diodotus interea ductum ex Arabia in Syriam Alexandri filium, in Regem salutandum curavit. Quod nequaquam difficile fuit; Syri enim a Demetrio aversi, ad Antiochum confertim descifcentes, brevi justum exercitum constituerunt, a quo Demetrius fusus fugatusque, Seleuciam se se recipere coactus est; puer vero Antiochus Elephantis, & Antiochia potitus, Syriæ Regnum obtinuit; qui deinde ad exemplum Antiochi avi sui *Theos Epiphanes*, scilicet Deus manifestus appellari voluit. Ex victoria autem illa *Nicephori*, nemque Victoris, nomen usurpavit. Porro Antiocho insignia tantum & nomen Regis, Diodoro vero auctoritas mansit.

Anno Mundi 3860. ante Christum 140.

Antiochus Balæ filius Syriæ Regnum obtinet.

XXII. Antiochus, ut Regnum firmaret, Jonatham in supremi Pontificis, & Principis Judæorum dignitate confirmavit; quatuor insuper Judææ civitates, sive toparchias, ad tres illas, quas jam memoravimus, Ptolemaide facile adjecta, concessit; ac tandem aureo cratere, purpura, atque aurea fibula uti permisit. Supremum etiam Ducem oræ mediterraneæ a Tyro usque ad Ægyptum, Simonem ejus fratrem constituit. Jonathas autem tot beneficiis ab Antiocho acceptis, amicum se illius, & socium in debellando communi hoste Demetrio per legatos professus est; collectisque, ubi per ipsum Antiochum licuit, e Syria quoque & Phænicia militibus Ascalonem

Jonathas Antiochi partes tuetur.

processit, quæ honorifice ipsum excepit. Gazam vero resistentem nactus obsedit, ejusque suburbana incendit. Gazenses pacem tunc postularunt, qua concessa, acceptisque obsidibus, Jonathas totam regionem, Damascum usque peragravit, in Antiochi fidem omnes illius tractus civitates redigens. Duces autem Demetrii, abstracturi a Syriæ negotiis Jonathan, Cades Galilææ urbem ad ipsum pertinentem, venerunt; quod cum ille intellexisset, fratre suo Simone in Judæa relicto, eo statim iter direxit, potitisque ad aquam Genesareth castris, venit in campum Asor. Demetriani occurrerunt, cum insidias prius in montibus collocassent; quibus apparentibus veriti Jonathæ milites, ne in medio intercepti trucidarentur, omnes in fugam se dedere, præter Matathiam filium Absalomi, & Judam filium Chalphi cum quinquaginta virorum fortium manu; quibus fultus Jonathas, Dei ope humiliter implorata, hostes fugavit. Hanc pugnam videntes Judæi desertores subito redierunt, fugientesque hostes ad sua ipsorum castra Cades usque sunt persecuti. Jonathas cæsis 3000. hominum Hierosolymam rediit. Quo absentiæ illius tempore Simon Bethsuram acriter oppugnatam ad deditionem compulerat, ejectoque Demetrii præsidio suum ibidem collocarat (*a*).

ANNO MUNDI 3860. ante Christum 140.

Fœdus cum Romanis & Spartiatis innovatur.

XXIII. His feliciter gestis, Numenium & Antipatrum, alterum Antiochi, alterum Jasonis filium, Legatos Romam misit Jonathas, amicitiam & societatem, cum Juda Machabæo prius

(*a*) 1.Mach. XI. Liv.l. 52. Joseph. Antiq. l. 13.c.9.

prius initam, renovaturus; quibus etiam mandavit, ut in reditu Lacedæmonios inviserent, eosque cognationis & pristini fœderis, cum Onia summo Pontifice firmati, admonerent, data in eam rem epistola, qua Populus Judaicus significabat, se eorum ceu fratrum in sacrificiis & precibus nunquam oblivisci (*a*).

XXIV. Demetrius Nicanor Regno exutus, Laodicææ vitam in deliciis agebat, infelici rerum suarum statu penitus neglecto. Demetriani tamen Duces pro illo soliciti, Jonathæ debilitando Judæam invadere decrevere; qui re cognita obviam illi occurrens in regionem Emath processit, aditum in provinciam prohibiturus. Hic per exploratores didicit, hostes statuisse ex improviso Judæos aggredi; quare jussit, ut sui in armis per totam noctem essent parati. Quod cum audissent adversarii, timore perculsi, crebris ignibus per castra dispositis, ut fallerent Judæos, noctu clam fugere; quos mane frustra insecutus est Jonathas, cum jam illi fluvium Eleutherum trajecissent. Flexo igitur itinere in Arabiam, Zabadæos, sive Nabathæos, qui forte in Demetrii partes transierant, percussit, prædamque opulentam Hierosolymam adduxit. Cum hujus Urbis mœnia restauranda suscepisset, Arcem adhuc a Syris occupatam, muro adeo excelso intersepivit, ut nemo ex Urbe eo commeatus afferre posset. *Jonathas Demetrianis obsistit.*

XXV. Diodotus sive Tryphon interea de Antiocho Rege interimendo, ejusque Regno occu- *Jonathas a Tryphone captus.*

(*a*) 1. Mach. XII.

occupando cogitans, Jonathan, unicum ipsius præsidium, interficere moliebatur. Venit igitur cum copiis Bethsanem, alias Scytopolim; quo cum 40000 virorum obviam illi processit Jonathas (*a*). Territus Diodotus, excepit illum honorifice, præcepitque militibus suis ut ipsi, non secus ac sibi, obedirent. Suasit deinde ut dimisso exercitu cum paucis viris delectis secum veniret Ptolemaidem, quam se illi daturum promisit. Hac arte in illam urbem adductum, occlusis illico januis, & viris mille, qui cum eo venerant, peremptis, in vincula conjecit.

Simon Judæos moderatur. Tryphon Jonathan occidit, cui, totique Machabæorum familiæ Simon sepulcrum erigit. Post Antiochi necem Simon Demetrio favet. Arcis Hierosolymitanæ deditio. Sub Simone felicitas. Capto a Mithridate Demetrio, Antiochus Sidetes jure cudendæ monetæ Jonathan auget. Romanorum literæ pro Judæis. Antiochus fidem frangit. Simon interficitur.

CAP. VIII.

ANNO MUNDI 3861. ante Christum 139. *Simon in Principe eligitur.*

I. CApto Jonatha, atque sparso de illius nece rumore, Simon illius frater populos, ne animis desponderent, pro concione confirmavit. Se, dixit, eodem, quo fratres sui & pater, zelo pro Legis & Templi defensione ardere. Si fratres omnes certantes pro salu-

(*a*) 1. Mach. XII. 39.

salute Israelis hostis interemit, scirent, se eamdem cum illis conditionem non invitum subiturum. Hæc viri strenui verba summo plausu populus excepit, ultroque Principatum illi detulit; qui statim ad urbis defensionem versis curis mœnia reparavit; simulque venisse Diodotum cum valido exercitu intelligens, copias in illum duxit (*a*).

II. Diodotus aleam belli timens, missis ad Simonem Legatis, significavit, se quidem in vinculis Jonathan retinuisse, quod regio ærario obstrictus teneretur. Mitteret ergo 100. argenti talenta duosque ipsius filios obsides, ne ob vincula ultionem cogitaret, & fratrem acciperet. Simon dolum quidem viri sensit, sed invidiam Judæorum sibi metuens, si recusaret, & pecuniam & filios misit. At Diodotus omnia quidem recepit, sed Jonathan minime remisit; quin provinciam cum exercitu excurrendam suscepit. Simonis tamen exercitu latera hostium premente, ille consilio frustratus, Jonatha geminisque ejus filiis in Bascaman occisis, copias in Syriam reduxit. Necem Jonathæ pluribus diebus Israel ingemuit, ejusque ossa quæsita & inventa Simon in urbem Modin intulit; quibus Mausolæum lapidibus utrimque expolitis constructum, ornatumque septem pyramidibus, altera patri, matri altera, quatuor aliis fratribus suis dicatis, erexit, maximis circum dispositis columnis, quibus arma & sculptæ naves eminus a navigantibus prospiciendæ, procuratæ a sua familia

Jonathæ totique familiæ suæ Simon sepulcrum erigit.

(*a*) 1. Mach. XIII.

lia terra marique Judæorum libertatis argumentum, erant præfixæ; quod quidem sepulcrum Eusebio, & S. Hieronymo florentibus adhuc visebatur. Porro Jonathas fratri suo Judæ Machabæo annis 17. & septem circiter mensibus superstes fuit, & Pontificatum per novem annos gessit.

Antiochus Deus occiditur.

III. Diodotus post Jonathæ necem, necem Antiochi differendam non censuit. Sparso proinde in vulgus opera medicorum, quos ipse corruperat, rumore, Regem lithiasis morbo laborare, vescicam illius abscindi jussit; quo vulnere occubuit ætate decennis (*a*). Eo sublato Regnum invasit, & nomen Diodoti in Tryphonem mutavit, sive quod galeam capite gestaret, sive ut voluptatis studium significaret. Regni deinde confirmationem a Senatu Romano postulavit, misso Romam Victoriæ signo, denum millium nummum aureorum pondo, futurum sperans, ut muneris symbolum & magnitudo postulata impetraret. Ejus tamen spem Senatus versutia decepit, accepto simulacro inscriptoque mox interfecti Antiochi nomine (*b*). Iidem autem Romani, sicut & Spartani de morte quidem Jonathæ contristati sunt; sed cum intellexissent per Legatos a Simone missos, ipsum fratri in dignitate successisse, tabulis æreis ad ipsum scriptis, antiquam amicitiam & societatem renovarunt (*c*).

IV.

(*a*) 1. Mach. XIII. 31. Liv. l. 55. Strab. l. 16. Justin. l. 36.

(*b*) Diodor. Sicul. legat. 31.

(*c*) 1. Mach. XIV.

IV. Scelus Tryphonis deteſtatus Simon, partibus Demetrii favens, ipſum Seleuciæ, vel ut in angulo Regni latentem, regio miſſo diademate, aureaque palma Regem ſalutavit, poſtulata Judææ ab omni tributo immunitate, & privilegiorum confirmatione. Demetrius ſcripta epiſtola, quæ adhuc extat, non tantum petita conceſſit, ſed venia præteritorum ultro præmiſſa, ſupremum etiam in provinciam, & in urbes ab ipſo Simone in eadem regione munitas jus & poteſtatem adjecit. Hinc jugo Gentium penitus excuſſo, annus 170. Regni Græcorum, qui tunc decurrebat, in publicos faſtus ita relatus eſt: *Anno primo Simonis ſummi Sacerdotis, Ducis magni, & Principis Judæorum* (*a*). Hanc traditionem apud Scriptores Judæos legas. Cum impii Reges vetuiſſent, ne quis umquam nomen veri Dei proferre auderet, Machabæi ſanxerunt, ut in omnibus contractibus nomen Dei adſcriberetur, ita fere: *Hoc anno, ſummo Sacerdote N. qui eſt Miniſter Dei Altiſſimi*. Hinc ſi in Judæorum inſtrumentis non ſit appoſitum, vel ſi eraſum appareat, ſtatim nulla declarantur. In cujus rei memoriam die tertia Tizri Feſtum inſtitutum eſt.

ANNO MUNDI 3861. ante Chriſtum 139.

Libertate Judæis Demetrius largitur.

V. Secundum hæc, Simon Gazæos, qui mortuo Jonatha rebellarant, obſedit, & per helepolim concuſſa & expunata turre, ad deditionem compulit. Miſericordia tamen in cives commotus, eos non delevit, ſed ejecit ex urbe, quam domibus prius ab Idolis omnique ſor-

Arcis Hieroſolymitanæ deditio.

(*a*) 1. Mach. XIII. XIV.

ſorde purgatis, inter divinarum laudum concentum, ingreſſus eſt, collocatiſque ibi Judæis, ac ædibus ſibi excitatis, quo ſe cum libitum fuiſſet, conferret, receſſit. Hieroſolymam regreſſo præſidiarii Arcis Hieroſolymitanæ ſame addacti, deditionem fecere. Antequam vero ſolemnis illuc ingreſſus fieret, ſedulo quælibet ſuperſtitionis veſtigia, & quidquid Judæorum Legi adverſarentur, ejecta ſunt. Porro poſſeſſio inita eſt die 23. Jiar anni Græcorum 171. omni muſicorum inſtrumentorum plauſu interim reſonante; cujus rei memoriam annuo Feſto inſtituto a poſteris celebrandam Simon curavit. Narrat Joſephus, Arcem juſſu Simonis everſam fuiſſe, montemque, quo innitebatur, ſolo æquatum a populo trium annorum labore, ne in poſterum mala, quæ antea pepererat, iterum pareret. Sed hæc poſt aliquot annos forte decreta fuerunt; nam ſcimus, Simonem, pulſis Syris, Judæos ob regionis ſecuritatem in Arce collocaſſe (*a*). Munivit deinde Templi montem, ibique ſibi familiæque ſuæ habitationem conſtituit.

Judæorum felicitas ſub Simone.

VI. Cognita Simon filii ſui Joannis, qui deinde Hircanus appellatus eſt, bellica virtute, exercitus ſui Ducem elegit; qui ſedes in Gazaris in finibus Azoti fixit, quo homines Præfecturæ, patri ſuo ab Antiocho Deo olim creditæ, in officio contineret. Opportunum in Joppe portum aperuit, in civitatibus annonam & armamenta, ut defenſioni aptæ eſſent, poſuit. Pauperum erat tutor, iniquorum terror, Le-

(*a*) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 11. 1. Mach. XIII. 4. XIV. 36.

Legis assertor. Suum ea ætate agellum quisque colebat; seniores in foro assidentes de Republica consultabant; juniores pro libito seu vestibus magnificis, sive bellicis ad pompam utebantur. Quisque tandem omnium rerum copia affluente, sive, ut loquitur Scriptura, sub vite sua & ficu securus, nil curabat magis, quam ut ejus viri, a quo omnis regionis felicitas pendebat, honorem promoveret. Tot igitur accepta a Simone ejusque familia beneficia Judæi publico aliquo gratiarum monumento repensuri, scripturam ediderunt, qua post recensita ipsius in gentem Judaicam merita, suprema Principatus & Pontificatus jura illi, posterisque in perpetuum asserta voluere; injunctumque omnibus, ut omnimodam obedientiam ei præstarent, & acta publica ejus nomine obsignarent. In scripto tamen illo additum est: *Donec surgat Propheta fidelis* (*a*). Cum Sacerdotium in familiam Machabæorum electione hominum delatum esset, verbis illis sedulo animadvertitur, humanam hanc sanctionem Dei voluntati subesse, si quando ipse juberet, ut suprema illa dignitas alteri familiæ traderetur. Hinc nemo non videt, quam firma spe per eam ætatem Judæi vicinum Prophetæ fidelis, nempe Messiæ adventum præstolarentur, qui omnes de Religione tenebras esset dissipaturus. Porro decretum illud in ærea tabula exaratum in porticu Templi suspensum est; ejusque exemplar in ejusdem Templi

(*a*) 1. Mach. XIV. 41.

pli ærario ad uſum Simonis, ejuſque filiorum repoſitum.

ANNO MUNDI 3863. ante Chriſtum 137.

VII. Demetrius æmuli ſui Tryphonis pertæſus, qui potiſſimam Imperii ſui partem occupabat, Euphratem trajicere conſtituit, ſuaſque res in iis regionibus confirmare, ut deinde rediens, hoſtem comprimeret. Altera etiam de cauſa eo Demetrius iter aggreſſus eſt. Cum imperium ſuum minui, deficientibus paſſim Civitatibus, videret, ac ſummum apud omnes contemptum, ſocordiæ ac libidinis cauſa, ſe ſe contraxiſſe ſentiret, ad abolendam hanc ſuæ gloriæ maculam bellum Parthis inferre decrevit. Parthis tunc imperabat Mithridates, communi Parthorum Regum nomine Arſaces dictus, qui regnum ſuum ab Euphrate uſque ad Indum fluvium propagarat. Meſopotamia enim, Babylonia, finitimæque Provinciæ hactenus Regibus Syriæ ſubjectæ, victo Demetrii Præfecto Parthis ceſſerant. Multis quidem præliis Demetrius Parthos fudit, ſed tandem per inſidias in poteſtatem Mithridatis venit. Ea tamen humanitate Rex Demetrium captivum habuit, ut filiam ſuam Rodegunam nuptui illi tradiderit (*a*).

Demetrius in Mitridatis poteſtam venit.

Antiochus Sidetes Syriæ Regnum occupat, & Simoni cudendæ monetæ jus elargitur.

VIII. Interea Tryphon ob Demetrii abſentiam jam nihil metuens, ingenium ſuum, quod hactenus celaverat, prodens, libidini penitus ac licentiæ indulſit; quare ab exercitu relictus eſt, qui ad Cleopatram Demetrii uxorem, ejuſque filios, Seleuciæ ad Orontis oſtium commorantes, defecit. Cleopatra aucto exercitu,

(*a*) Joſeph. Antiq. l. 13. c. 9. & 1. Mach. XIV. 1.

citu, & desperato mariti reditu, missis ad Antiochum Sidetem, Demetrii fratrem, nunciis, ad nuptias suas, facta Regni spe, solicitavit. Porro nomen Sidetes Antiocho mansit, sive quod venationem *Zid* apud Phœnices dictam amaret, sive a *Side* Pamphiliæ oppido, ex qua Tryphonem oppugnaturus venit. Nummi tamen illius non Sidetem, sed Evergetem, scilicet Beneficum, præseferunt. Antiochus nihil cunctatus Regnum & nuptias a Cleopatra oblata acceptavit, atque ex insula Rhodo, ubi tunc degebat, Simonem summum Pontificem sibi per literas promereri curavit, concessa a fratre privilegia omnia confirmans, simulque jus addens æris proprio stigmate feriundi, & si quæ regio ærario debuisset, omnia sponte remittens. Liberam tandem Hierusalem ac Templum a regia jurisdictione declaravit, majora post Regnum plane sibi assertum pollicitus. Nullum Simonis nummum habemus sua imagine, aut aliqua alia humana figura cusum; sed aliquo Templi, aut Regionis symbolo, puta vase, cratere, hydria, gomor, columnis, ædificii fronte, turre, lyra, palma, botro, manipulo, spica. Nummorum epigraphe quandoque est, *Siclus* vel *Emisiclus Israel*: Interdum *Annus* 1. 2. 3. vel 4. *Liberationis Sion*, aut *Hierusalem*, sive *Israel*. Alibi, *Simon*, vel *Simon Princeps Israel*. Literæ Phæniciæ sunt, vel Samaritanæ. Nullum sub Joanne Hircano, filio & Successore Simonis, numisma superest; nullum enim fortasse cudit. Ipse etiam Simon toto regiminis sui tem-

pore

pore hoc privilegio usus non fuisse videtur (*a*). Hic a Calmeto Epocha cusæ apud Hebræos monetæ figitur.

Romanorum literæ pro Judæis.

IX. Secundum hæc, Numenius Antiochi filius aliique Legati ad renovandum cum Romanis amicitiam & societatem a Simone populoque Judæorum missi, oblato clypeo aureo ponderis mille minarum, summoque honore in Aula affecti, ac votorum omnium a Senatu compotes facti, Roma reduces attulerunt Hierosolymam exemplar literarum quas nomine Senatus Lucius Consul ad Reges & Provincias scripserat, jubens, ut nihil in Judæos tentarent mali, neque auxilium ipsorum hostibus ferrent; & si quando transfugæ ex Judæa ad eos venirent, Simoni Pontifici traderent, juxta patrias Leges puniendos. Reges, ad quos missæ fuerunt illæ literæ, quinque numerantur, Ptolomæus Physcon Ægypti, Demetrius Nicator Syriæ, Attalus Pergami, Ariathes Cappadociæ, & Mithridates, sive Arsaces Parthiæ. Provinciæ sive Civitates undeviginti recensentur, Lampsacus, Sparta, Delus, Myndes, Sycion, Cana, Samus, Pamphilia, Lycia, Alicarnassus, Rhodus, Phaselis, Coo, Sida, Aradus, Gortyna, Cnidus, Cyprus, & Cyrene (*b*).

ANNO MUNDI 3865. ante Christum 135.

Tryphon obsidetur. Antiochus fidem frangit.

X. Cum Antiochus Sidetes in Syriam venisset, Cleopatræ nupsit, avitumque Regnum ade-

(*a*) 1. Mach. xv. Bouterove de Monnoyes ancien. p. 18. Harduin. Chronol. vet. Test. p. 214. Vide hanc Histor. l. 1. §. 2. n. 2.

(*b*) 1. Mach. xv. 16. 22.

adeptus est, Tryphone Doram urbem Phæniciæ maritimam fuga cum paucis se se recipiente. Quo eum persecutus Antiochus tum terrestribus peditum 120000. & equitum 8000. tum navalibus copiis, urbem obsedit. Simon duo millia virorum, addita pecunia, & bellicis instrumentis Antiocho Tryphonem prementi suppetias misit, oblatam ab eo amicitiam, & conditiones Judææ perutiles confirmaturus. Verum Antiochus mutato consilio, neque missa a Simone auxilia recipere, neque ea quæ antea promiserat, rata habere sustinuit. Misso quin etiam Athenobio, Gazaram, Joppem, Arcemque Hierosolymæ sibi restitueret, imperavit. Quingentorum simul talentorum tributa pro locis, quæ extra Judæam possidebat, totidemque pro urbibus Judææ, ac damnis Regi illatis farciendis exegit, bellum alioquin & inimicitiam denuntians. Simon nihil ad hæc territus, totum divitiarum ac potentiæ suæ apparatum coram Athenobio expandit, addens, se nihil injuria eripuisse, sed tantum jure postliminii avitæ hereditatis possessionem recepisse: centum tantum talenta pro urbibus Gazara & Joppe offerre, quas utpote regioni infensissimas, occupandas censuerat (*a*).

XI. His minime acquiescens Antiochus, Cendebæum una cum exercitu in oram Mediterranei mittens, regionem vastari jussit. De hujus adventu Simon certior factus a Joanne Hircano filio, Gazaræ versante, eundem Joannem cum Juda altero filio, addito 20000. militum

ANNO MUNDI 3869. ante Christum 131.

Simon interficitur.

(*a*) 1. Mach. xv. 10. 25. Joseph. Antiq. l. 13. c. 12.

litum exercitu, contra hostem immisit; qui Candebæum solo sacrarum tubarum sono fusum Azotum usque persecuti sunt. Post hæc Simon Judææ urbes lustrans, cum ad Arcem Doch alio nomine Dagon, in Jerichuntis planitie, pervenisset, a Ptolomæo filio Abobi genero suo, urbis Præfecto magnifice exceptus est. Verum inter medias dapes, Simon a sicariis invasus una cum filiis Mathathia & Juda interfectus est, post octo sui sacri, civilisque Imperii annos. Statim vero Ptolomæus Antiochum Sidetem per literas de omnibus monens, rogavit, ut quantocius ad se copias mitteret, quibus regionem a jugo Machabæorum liberaret. Missis etiam Gazaram viris, Joannis filii Simonis natu majoris necem molitus est. Verum Joannes opportune omnium certior factus, submissos a Ptolomæo viros necavit (*a*). Hic explicit primus Machabæorum Liber, ac tota Judæorum Historia, quæ sacris veteris Testamenti voluminibus continetur.

Quatuor Machabæorum Libri.

CAP. IX.

Primus Machabæorum Liber.

I. QUatuor circumferuntur Machabæorum Libri, e quibus duo priores Canonici, posteriores apocryphi habentur. Si chronologiæ ordo servetur, tertius Liber ante primum, primus post secundum recenseri debuissent. Primus Machabæorum Liber Hebræorum, sive

(*a*) 1. Mach. XV. 38. & XVI. 1. 2. &c.

ſive Syrorum ſermone primo exaratus eſt, quod ex ſtylo & phraſibus ejuſdem ſatis colligimus. S. Hieronymus eadem teſtatur: *Machabæorum primum Librum Hebraicum reperi* (*a*). Pluribus tamen a ſæculis Hebraicus iſte textus intercidit; quare illius loco Græca Verſio pro originali ſuppoſita eſt, ex qua etiam Latinam Verſionem, decreto Tridentini approbatam, habemus. Ex publicis rerum apud Judæos geſtarum documentis Liber collectus videtur, ad monumenta enim Joannis Hircani lector in fine Libri remittitur (*b*). Hiſtoriam 40. annorum, a Regno ſcilicet Antiochi Epiphanis uſque ad Simonis ſummi Sacerdotis & Principis obitum complectitur. Ejus auctor latet, ſcripſiſſe tamen poſt Hircanum ſummum Sacerdotem, cujus enarratas memorias laudat, oportet. Sunt tamen qui ipſum Hircanum auctorem faciunt.

II. Secundus Machabæorum Liber, majoris operis a Jaſone Cyrenæo de Epiphanis & Eupatoris in Hebræos perſecutione ſcripti, quod amplius non extat, ſumma eſt ab ignoto auctore compilata. Utriuſque ſcripti auctores Græci ſunt. Duo poſteriora Libri capita, ſtylo plane a ceteris diverſo, ut alium auctorem præſeferre videantur, geſta ſub Demetrio Sotere complectuntur. Totum opus 15. annorum hiſtoriam proſequitur, quot nempe a tentata per Heliodorum ærarii ſacri expilatione uſque ad Nicanorem, a Juda Machabæo devictum, *Alter Machabæorū Liber.*

 inter-

(*a*) Prol. Galeat. ultimo. 2. Mach. 11. 14.
(*b*) 1. Mach. xvi. v.

intercessere. In fronte Libri duæ occurrunt Epistolæ, quarum prima Judæi Alexandrini a Hierosolymitanis de celebratione festi Expiationis & Dedicationis Templi per Judam Machabæum, monentur; altera vero ejusdem argumenti a Senatu Hierosolymitano, & Juda ad Aristobolum Regis Ptolomæi Præceptorem data est. Quæ quidem epistola cum annum Seleucidarum 188. in annum Mundi 3880. incidentem, præseferat, idcirco locus est, ut Librum hunc circa idem tempus sub Joanne Hircano exaratum fuisse opinemur. Sunt qui ex styli elegantia, Josephi, sive Philonis opus esse autumarint. Judæ cuidam Esseno apud Josephum claro (*a*), Serarius attribuit; Simoni vero Machabæo Judæ fratri Leo Allatius (*b*). Omnium dubia fides. Licet autem secundus iste Machabæorum Liber eadem ferme ac primus retulerit, uterque tamen auctor ne nosse quidem opera mutuo sua videntur. Major veterum Scriptorum numerus, & Tridentini auctoritas ab omni apocryphi suspicione duos hosce Libros purgat; quamquam in priscis sacrorum Librorum catalogis, quod illi ad normam Canonis Hebræorum ducti sunt, desiderarentur.

Tertius Machabæorum Liber.

III. Tertius Machabæorum Liber historiam motæ per Ptolomæum Philopatorem Regem Ægypti persecutionis in Judæos Alexandrinos, latius a nobis descriptæ (*c*), prosequitur. Liber iste veteres Latinos fugit, a quibus numquam,

(*a*) De Bello l. 1. c. 3.
(*b*) De Simeonibus. l. 8. c. 8. n. 12.
(*c*) Vide hanc Histor.

quam, quantum scio, laudatur. Paruit primum in Frobenianis anno 1538. Ad apocrypha illum amandat non solum Ecclesia Latina, sed & Græca nostris saltem temporibus; non quod fictam aliquam historiam contineat, sed quod a divinarum Scripturarum auctoritate excidat. Vetus tamen Ecclesia Græca aliquamdiu hæsit, num tertium Machabæorum admitteret. Quin & inter sacros Libros a 24. Canone Apostolorum habitus est. Facile inscriptus est titulo tertii Machabæorum, quod post duos priores apud Christianos innotuerit, licet argumentum a Machabæis prorsus alienum contineat.

Quartus Machabæorum Liber.

IV. Quamquam apud veteres de quarto Machabæorum Libro sermo occurrat, raro tamen illo usos, maxime Latinos, adeo constat, ut quid potissimum operis eo nomine ab illis designaretur, hodie ferme eruditos lateat. Cum Xistus Senensis in MS. quoddam Græcum de Pontificatu Joannis Hircani incidisset, ad Bibliothecam Sanctis Pagnini apud Dominicanos Lugdunenses spectans, invenisse sibi quartum Machabæorum ita persuasit (*a*), ut in eam opinionem vulgo Eruditos adduceret. Post aliquot inde annos incendio absumi Bibliothecam illam contigit, unaque intercidit singularis ille codex. Verum cum Cl. Le Jay in sua Polyglotta ex Græco, uti quidem apparet, adornatam, Machabæorum historiam Arabicam a Seleuco Rege filio Antiochi magni usque ad Christi ætatem deductam edidisset, nactos se

(*a*) Biblioth. l. 1.

in illa quartum Machabæorum plures autumarunt. In illud plane Arabicum exemplar quadrat, quod Senensis in Græco suo animadverterat, exordiri scilicet illis verbis: *Constituerat Simon, ipso vivente, ducem filium suum Jochanan*, idest Joannem, *dare &c.* Quare P. de la Haye idem opus latine redditum in suis Bibliis maximis dare sub titulo 4. Machabæorum operæ pretium duxit. Idem præstitit P. Calmetus quoad ea tantum quæ Hircanum spectant. Nonnulla & nos in nostrum succum ex illo mutuabimur. Scriptum primo hebraice opus intelligimus, cum in gustu, periodis, & phrasibus Hebraicum sapiat; quod in suo Græco exemplari Xistus pariter notarat.

Plures ejusdem tituli Libri.

V. Veteres tamen illi, qui quartum Machabæorum præ manibus habebant, nostrum hunc ne novisse quidem, certo persuademur. Eusebius enim, & Hieronymus post productam usque ad exitum Simonis historiam e primo Machabæorum derivatam, de filio ipsius Hircano narrandum suscipiunt, quarto hoc Libro ne indicato quidem (*a*). Idem Eusebius, Sulpicius Severus, Cedrenus, aliique de Hircano sermonem habentes, ejus nominis rationem derivant ex Hircanis, quos ille prælio fudit in expeditione Antiochi Sidetis, cum nempe Regem illum in Persidem proficiscentem comitaretur, quæ tamen repugnant testimonio Scriptoris hujus Libri, inditum viro nomen e devicto Hircano, quem Josephus, & primus Ma-

(*a*) Euseb. Demonstr. niel. IX. l. 8. c. 2. Hieron. in Da-

Machabæorum (*a*) Cendebæum appellant, tradentis.

VI. Alius igitur quærendus est quartus Machabæorum Liber, quem ipsissimum credimus cum lucubratione Josephi *de Imperio Rationis*. Siquidem plura MSS. Græca, & edita nonnulla itidem Græca, diserte sub nomine quarti Machabæorum eumdem Librum recensent. Neque alium quartum Machabæorum novit Philostratus (*b*), qui opus illud Josepho vindicat, quemadmodum etiam Eusebius, & S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus in texendis septem Machabæorum, & senis Eleazari elogiis, fidem ejusdem Libri sequuntur. Idem præstat Marius Victorinus Afer in suo de Machabæis carmine.

Liber de Imperio Rationis.

VII. Totus hujus Libri scopus eo tendit, ut quæ in secundo Machabæorum libro, capitibus sexto & septimo per compendium referuntur, de Eleazari primum, deinde septem fratrum martyrio, ea prolixius exhibeat. Hac autem de causa inscriptus est *de Imperio Rationis*, quod Ratio pietate firmata, adeo animi motus regat modereturque, ut omnia vincat, Tyrannos, tormenta, mortem. In eo tamen Liber iste fidei secundo Machabæorum aperte repugnat, quod missum a Seleuco Nicanore tradit Apollonium ad sacrum ærarium expilandum, cum non Apollonium habeat secundus Machabæorum, sed Heliodorum; nec Se-

Libri argumentū.

G 4 leu-

(*a*) 1 Mach. xv. 38. & xvi. 1. 4. 8. &c.

(*b*) Histor. Eccl. initio.

leucum Nicanorem, sed Seleucum Philopatorem. Errat pariter intollerabilius, cum Antiochum Epiphanem Seleuci filium statuit, frater enim erat natu minor. Pluribus aliis erroribus scatet Liber ille, ut nihil dicam de stylo turgido, & longe petitis figuris affectato. Quare Josephum illius auctorem fuisse, vix in animum induxerim, neque enim ineptiis hisce & erroribus par erat Scriptor insignis, quem potissimum deinceps usque ad Evangelii tempora, sacra destituti historia, sequemur.

Falsa de Hircani pietate narratio. Hierosolymæ per Antiochum Sidetem obsidio. Hircanus cum Antiocho in Persas proficiscitur. Unde Hircani nomen? Perfecta Judæorum Libertas. Idumæi ad Sacra Judæorum coguntur. Fœdus cum Romanis innovatum. Decertantibus inter se Demetrio, Zebina, Seleuco, Grypho, Cyziceno Judæorum res augentur. Physconi Lathurus succedit. Samaria deletur. Hircani decora.

CAP. X.

ANNO MUNDI 3869. ante Christum 131. *Hircani in matrem fratresque pietas.*

I. Joannes Hircanus captis, interfectisque iis, quos Ptolomæus Abobi filius ad necem sibi inferendam miserat Gazaram, statim Hierosolymam profectus, urbem ingressus est favore populi, qui Ptolomæum, cum per aliam portam ingredi adniteretur, summovit. Hircanus patriam, Pontificatum, & Imperium adeptus, cum primum Deum sacrificiis exorasset, fecit adversus Ptolomæum patris sui prodito-

ditorem expeditionem, eumque in arce Doch, sive Dagon oppugnare cœpit. Arce igitur obsidione pressa, atque mœnibus ariete pulsatis, res Ptolomæi in angustias devenerunt. Tunc ille, inito callido crudelique consilio, matrem, duosque Hircani fratres in conspectu aggressorum constituens, dire cædebat; adjectis insuper minis, futurum, ut si ab hostibus premeretur, eorum cæde ultionem expeteret. Eo aspectu Hircanus commotus, copias in castra reducebat. At fortis mater animo, filio, ne commiseratione molliretur, sed ultionem de proditore prosequeretur, suadere non cessabat. His confirmatus Hircanus iterum copias ad arcem ducebat; sed verberibus iterum matre fratribusque affectis, animo iterum despondens, copiis in castra reductis, ab obsidione tantum non recessit. Recurrente interim festo Tabernaculorum in urbem munere suo fungendo redit Hircanus, qua occasione capta, Ptolomæus occisa matre illius, fratribusque, in totum ab hostis conatibus se se recepit. Hæc quartus Machabæorum Liber (*a*). Addit vero Josephus obsidionis deferendæ annum sabbaticum jam ineuntem Hircano causam fuisse; Ptolomæum vero apud Zenonem cognomento Corylam Regem Philadelphiæ, Metropolis Ammonitarum, contendisse (*b*). Hanc tamen historiam Critici egregie refutant; cum primo Machabæorum Libro inter Canonicos recepto, nihil de matre Hircani legatur, apertisque ver-

(*a*) 4. Mach. l. 1. 13. c. 14. & 15.
(*b*) Joseph. Antiq. l.

verbis Simon, ejusque filii inter dapes occisi perhibeantur. Præterea anno sabbatico belli administratio nulla lege Judæis erat prohibita (*a*).

Pax inter Antiochū Sidetem, & Hircanum composita.

II. Tryphon interea arcta obsidione pressus in urbe Doch, vix inde elapsus, Orthosiam, ac deinde metu Antiochi Sidetis insequentis, Apamæam patriam suam confugit; qua in urbe ad ultimas angustias redactus, juxta Strabonem, præcipitem se ab arce dedit; vel se in ignem conjecit, juxta Sincellum, aut vi illata occisus est, juxta Josephum. Antiochus Sidetes æmulo liberatus, expeditionem in Hircanum suscepit. Venit igitur in Judæam, & post vastatum late agrum, Hierusalem, quo Demum Hircanus confugerat, pressit obsidione. Sed strenuos nactus defensores, illis e mœnibus arcendis, centum turres ingenti militum numero refertas admovit; duplicique fossa cinctis Judæis omnem exitum præclusit. Cum vero suffodiendis muris intenti essent, detectum est, illos in imo fundo sudibus sustentari, quare inter ligna illa terram egerentes, reponentesque ejus loco combustibilem materiam, injecto igne, brevi latam subrutis mœnibus viam sibi pararunt in urbem. Tunc Antiochus valida aggressione tentavit urbem, sed validius resistentibus defensoribus, rejectus est. Simul ad hæc Hircanus erumpens, in hostem, coegit longius ab urbe se se recipere, reduxque adversariorum turres incendio absumpsit. Videns Hircanus suorum multitudinem sibi

(*a*) Usser. ad an. 3869.

ſibi obeſſe, quod ad eorum victum inſumerentur neceſſaria, infirmiorem turbam ejecit extra mœnia, quos cum progredi ultra foſſas non ſineret Antiochus, miſerabiliter circa mœnia errantes fame conficiebantur. Recurrentibus tamen ſolemnitatis Tabernaculorum diebus, in urbem recepti ſunt, qua etiam occaſione Judæi ſeptem dierum inducias ab Antiocho poſtularunt, quas ille ne dum libens conceſſit, ſed & tauros cornuis auratis, vaſa itidem aurea, & argentea aromatibus plena in oblationem Domino miſit; annonam etiam, cujus ſumma erat caritas, Judæis ſuppeditavit. Hac Regis liberalitate capti Judæi ſtatim de pace ineunda per Legatos egerunt, eam tantummodo conditionem poſtulantes, ut juxta ſuas Leges vivere permitterentur. Antiochus arma reddere, muros urbis evertere, pro Joppe aliiſque urbibus extra Judæam tributa perſolvere, ac tandem Syrorum militum præſidium in urbe recipere juſſit. Omnia acceptarunt Judæi, præter præſidium, eo obtentu, quod exterorum conſuetudinem vitarent. Hujus conditonis loco maluerunt dare obſides, quos inter ipſius Hircani fratrem, atque 500. argenti talenta, ex quibus 300. mox ſoluta ſunt. Quibus ita conſtitutis Antiochus victor urbem ingreſſus eſt, dejectiſque murorum pinnis, ſeceſſit (*a*). Tradit Joſephus ea occaſione effoſſum ab Hircano Davidis ſepulcrum, ex eoque 3000. talenta extracta, quibus pecuniis

(*a*) 4. Mach. 11. Jo- Diodor. Sicul. apud Phot. ſeph. Antiq. l. 13. c. 16. cod. 244.

niis primus Judæorum exterum militem alere cœperit. Quartus Machabæorum Liber fert, Hircanum aperuisse thesaurum, a quibusdam Davidis posteris congestum, ablataque inde pecunia plurima, tantumdem ibi reliquisse. Sed de hisce thesauris, alibi eruditorum protulimus judicium (*a*). Hircanus hoste liberatus sarciendis urbis mœnibus, promovendisque populi commodis se se totum addixit.

ANNO MUNDI 3873. ante Christum 127.

Hircanus cum Antiocho in Persas proficiscitur.

III. Triennio post Antiochus adversus Parthos sive Persas arma movit, reddi sibi postulans Demetrium Nicanorem fratrem suum; quem Phraates Mithridatis successor, bis retractum a fuga ad uxorem Rhodegunam & filios in Hyrcaniam remiserat, non misericordia motus, aut respectu cognationis, sed quod Regnum Syriæ affectans, usurus esset Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout sors tulisset. Ut Regni Persarum fines attingit Antiochus, Orientalium Regum complures, superbiæ Persarum, atque avaritiæ pertæsi, traditionem ultro fecerunt. Mox inito bello, Antiochus tribus victoriis fracto hoste Babylonem in suam potestatem redegit. Hujus expeditionis comitem habuit Joannem Hircanum, qui a victis Hircanis una cum aliis Phraatis subditis, juxta nonnullos, illud Hircani cognomen adeptus est (*b*). Narrant etiam, Antiochum, erecto trophæo ad Lycum fluvium, cum Indathen Parthorum ducem superasset, illic biduo substitisse ad Hircani preces,

(*a*) Vide hanc Histor. l. 5. c. 22. n. 5.

(*b*) Vide supra, c. 9. n. 5.

ces, quod forte post Sabbati diem Festum Pentecostes incidisset, quibus Judæorum genti iter facere non liceret (*a*).

IV. Cum Syrii nimis licenter Parthica victoria uterentur, populi irati illos omnes per hyberna dispersos aggredi, & obvios cædere decrevere. Antiochus rem Babylone subodoratus, cum paucis, quos apud se habebat, opem vicinioribus ferens, Phraathi occurrit, a quo fortissime pugnans occisus est, ut plerique Historicorum scriptis mandarunt, aliis ferentibus, Antiochum in ultima suarum rerum desperatione manus sibi intulisse, vel e loco quodam se præcipitem dedisse (*b*). Hircanus ab expeditione in Persas redux Aleppum, Medabam, Samegam, & Sichem recepit, excussoque penitus Syrorum & Macedonum jugo, nullam exinde opem illis tulit neque ut subditus, neque ut amicus, Judæosque in perfectam libertatem vindicavit. Tunc Templum, quod in monte Garizim colebant Samaritani, destruxit, omnesque eorum Sacerdotes necavit (*c*).

ANNO MUNDI 3874. ante Christum 126. *Antiochus Sidetes occiditur. Perfecta Judæorũ Libertas.*

V. Versis deinde in Idumæos armis, ipsos subjugavit, quibus edixit, ut Moysis Legem & circumcisionem reciperent, nisi mallent e propriis sedibus pelli. Acceptarunt illi Patriæ amore ritus omnes Judaicos, quos & retinuerunt usque ad Templi per Titum eversionem (*a*).

ANNO MUNDI 3875. ante Christum 125. *Idumæi ad Judæorum Sacra adiguntur. Fœdus cũ Romanis innovatum.*

(*a*) 4. Mach. 11. Joseph. Antiq. l. 13. c. 16. Justin. l. 38.

(*b*) Josephus, & Justinus ibid.

(*c*) 4. Mach. 11. Joseph. Antiq. l. 15. c. 17.

(*a*). Post hæc missi ab Hircano Romam Simon Dosithæi, Apollonius Alexandri, & Diodorus Jasonis Legati, phialam & clypeum aureum, munus 50. millia aureorum, argumentum veteris amicitiæ attulerunt, qui a Fannio Prætore excepti, & in Curiam ducti sunt. Redditum vero illis Senatus Consultum, ut Joppe & portus, & Gazara, & fontes & quascumque alias eorum urbes & loca ceperat Antiochus Sidetes, hæc eis redderentur; neve regiis militibus liceret per ipsorum fines iter facere: item, ut quæ belli tempore ab Antiocho attentata erant, irrita fierent; utque curarent Romani eis reddenda, quæ per Antiochum absque Senatus consensu ablata fuerant, mandatum præterea, ut Judæorum Legatis literæ & pecuniæ darentur, quo domum tuto redirent (*b*). Quin, si quarto Machabæorum Libro fides, Hircanus a Romanis Regis nomine donatus est; qui quidem titulus post captivitatem tunc primum inter Judæos audiit. Id tamen de Aristobulo Hircani filio Josephus narrat, principatum scilicet in Regnum omnium primum mutasse. Hæc tandem Alexandro Aristobuli filio tribuenda mavult Strabo (*c*).

Demetrius Nicanor iterum Regno potitus, occiditur.

VI. Interim Syriæ satis turbarum fuit; cujus quidem turbationis causa Judæorum res multis accessionibus auctæ sunt. Sublato Antiocho Sidete, Demetrius ipsius frater, Parthica ca-

(*a*) 4. Mach. & Joseph. ibid. Strab. l. 16. p. 761.

(*b*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 17.

(*c*) 4. Mach. III. 1. Joseph. Antiq. l. 13. c. 19. Strabo l. 16. p. 762.

captivitate a Phraate solutus, avitum Regnum recuperavit; a quo genero suo Cleopatra Ægypti Regina, bello lacessita a Physcone fratre suo, & quondam etiam marito, auxilium petiit, Regno suo in auxilii pretium oblato; cujus potiundi spe illectus Demetrius, copias Pelusium duxit (a). Sed cum eo absente plures Syriæ Civitates ob illius superbiam descifcerent, ex Ægypto in Syriam redire coactus est, quo deinceps venit & Cleopatra Phisconis iram vitatura. Syrii ad Physconem miserunt, rogantes, ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem Regem sibi constituerent. Statim ille ad tantam dignitatem armis capessendam juvenem quemdam misit Protarchi mercatoris filium, mentitus, patrem illi fuisse Alexandrum Balam, avum vero Antiochum Epiphanem. De nomine patris, cui attributus fuit, Alexander appellabatur. Cum tamen cognita fabula, Ptolomæi emptum mancipium haberetur, *Zebinam* Syrii cognominaverunt. Commisso prælio circa Damascum, Demetrius ab Alexandro Zebina victus, ad Cleopatram uxorem suam, alterius Cleopatræ Reginæ Ægypti filiam, Ptolemaidem confugit, exclususque ab ea, filiisque, Tyrum, religione Templi se defensurus, petivit; sed & illuc ingredi prohibitus, occisus est, sive ab uxore, sive ab amicis, sive ab hoste, quatuor post reditum e Parthia annis (b).

VII.

(a) Justin. l. 39. c. 1. Joseph. Antiq. l. 13. c. 17. Justin. l. 39. c. 1.
(b) Joseph. Antiq. l.

ANNO MUNDI 3878. ante Christum 122.

Alexander Zebinas, Seleuchus V. Antiochus Gryphus, sive Philometor.

VII. Alexander Zebinas Regnum consecutus, societatem cum Joanne Hircano inivit. Regnum tamen Zebinæ quietum non fuit, siquidem altero a nece Demetrii anno Seleucus ipsius filius diadema assumpsit; sed post annum Cleopatra mater illum, vel quod injussu suo Regnum assumpsisset, sive ne ille patris Demetrii mortem ulcisceretur, sive quod furens omnia gereret, sagitta confixum interemit, erecto ad thronum altero filio Antiocho Grypho, Philometore etiam dicto (*a*). Ptolomæus Physcon spretum se videns ab Alexandro Zebina, qui omnia illi debebat, reconciliata sororis Cleopatræ Reginæ Ægypti gratia, Grypho contra Alexandrum ingentia auxilia misit una cum Tryphona filia, quam ipsi Grypho desponderat. Cum Syrii Gryphum Ægypti viribus instructum viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt. Prælio tandem commisso Zebinas fusus Antiochiam se se recepit; sed excitata populi seditione, dum auream Victoriæ statuam e Templo Jovis in stipendia militum surripere conaretur, expulsus est. Mari vero se committens subita procella a suis divulsus, in pyratas incidit, a quibus traditum Gryphus trucidavit, ut narrat Justinus. Josephus tamen in prælio contra Gryphum occubuisse tradit. Porphyrius tandem, mortem sibi intulisse, quod nollet suorum jactantiæ superstitem esse, scripsit (*b*). Secundis

(*a*) Liv. l. 66. Justin. Joseph. Antiq. l. 13. c. 17. ibid. Appian. Syriac. p. 132. Porphyr. in Græc. Euseb.
(*b*) Justin. l. 39. 2. Scalig. p. 227.

dis Gryphi rebus Cleopatra mater invidens, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Gryphus de omnibus instructus, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet; abnuenti instat; tandem arguit eam, solam defensionem sceleris superesse; affirmans, si bibat, quod filio obtulit. Sic victa Regina extinguitur. Inde per octennium pacata omnia (*a*).

ANNO MUNDI 3888. ante Christum 112.

VIII. Ptolomæus Evergetes II. sive Physcon, exactis in Regno Ægypti crudeliter, impieque administrato, post obitum Fratris, 29. annis, in pace decessit, Regni administratione Cleopatræ uxori suæ relicta, cui & permisit, quem mallet ex geminis filiis Regno præficeret. Hæc Cleopatra filia erat prioris Cleopatræ sororis & conjugis ejusdem Physconis; quam cum prius stuprasset, matre e thoro emota, uxorem sibi adsciverat. Cleopatra primum Alexandrum natu minorem, morigerum sibi præ altero sperans, selegerat; sed ab Alexandrinis ad præferendum Ptolomæum Lathurum demum coacta est. Prius tamen, quam Regnum illi daret, uxorem ademit; compulsumque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenem ducere jussit (*b*).

Ptolomæo Physconi Ptolomæus Lathurus in Ægypti succedit.

ANNO MUNDI 3890. ante Christum 110.

IX. Femina repudiata Antiocho Cyziceno in Syria nupsit; eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri solicitatum, veluti dotalem, ad maritum deduxit. Cyzicenus

Antiochus Cyzicenus cum fratre suo Antiocho Grypho de Syriæ Regno contendit.

(*a*) Justin. & Appian. Pausan. in Attic. p. 7. 8.
(*b*) Justin. l. 39. c. 3. Porphyr. ibid. p. 225.

nus eadem matre Cleopatra natus erat, qua Antiochus Gryphus; sed hic Demetrium Nicanorem patrem habuit: ille Antiochum Sidetem. Antiochum Cyziceuum mater, insidias Demetrii viri sui proprii metuens, Cyzicum in Asia minore enutriendum transmiserat; unde & Cyziceni nomen sortitus est. Hunc cum Antiochus Gryphus veneno tollere voluisset, ut maturius armis cum eo de Regno contenderet, excitavit. Dum igitur Gryphus in Judæos expeditionem meditaretur, arma in fratrem, uxoris exercitu aucta, vertere coactus est. Gryphus Cyzicenum fregit, fugavitque; inde ad Cleopatram hostis conjugem Antiochiæ obsidendam perrexit. Ea urbe expugnata Cleopatra ad Templi asylum confugit. Loci tamen religio, ipsiusque Gryphi interpositæ pro illa preces, miseram feminam a furore Tryphenæ sororis suæ, & ejusdem Gryphi uxoris, defendere non valuere. Quare immissi ab illa milites nequicquam orantem, atque numinis simulacrum complexantem, trucidarunt. Altero anno duobus Antiochis iterum ad arma concurrentibus, victoria pro Cyziceno stetit, qui captæ Tryphenæ cæde cædem Cleopatræ uxoris suæ expiavit. Ea victoria Regnum Syriæ ad Cyzicenum transtulit, qui tamen non diu post partem ejusdem Grypho, in Syriam reduci, concessit. Partito in hunc modum Regno, Gryphus Syriam, Cyzicenus Cele-Syriam administrabat (*a*).

X.

(*a*) Justin. l. 39. c. 2. c. 17. Pausan. ibid. Por- & 3. Joseph. Antiq. l. 13. phyr. ibid. p. 227.

X. Sæviente inter Syrios discordia, Hircanus quietam Judæorum regebat provinciam, ex cujus proventibus ingentem pecuniarum vim coegit. Videns vero quod regii fratres mutuis cladibus contererentur, utrumque facile despexit. Hinc oppugnandis Samaritanis, Syriæ Regibus subjectis, duxit exercitum, infensus illis propter injurias Marissenis illatas, quorum ultio, cum ad Idumæam, paulo ante sub Hircani potestatem redactam, pertineret, ipsum spectabat. Cum Samariam arctissima obsidione cinxisset, filios suos Antigonum, & Aristobolum obsidioni præfecit, ipse Jerosolymam reccurrente Expiationis solemnitate rediens; quibus urgentibus, & fame premente, eo necessitatis adducti sunt Samaritani, ut cibis insuetis vescerentur, & Antiochi Cyziceni opem implorarent. Regi suppetias obsessis ferenti Antigonus, & Aristobolus occurrerunt, ac prælio commisso, fractum Scythopolim usque insecuti sunt. Inde ad urbem regressi, arctius obsidionem strinxerunt; quod civibus in causa fuit, ut Antiochi opem iterum implorarent. Eo auctore Ptolomæus Lathurus Ægypti Rex coacto sex millium exercitu, Hircani regionem latrocinando depopulabatur, cum eo quidem aperto marte congredi non audens. Verum postquam delatus in hostium insidias, multos suorum militum amisisset, Tripolim se recepit, Callimandro, & Epicrate bello gerendo contra Judæos præfectis. Callimander, dum audacius in hostem invehitur, in fugam

Anno Mundi 3894. ante Christum 106.

Hircanus Samariam evertit.

versus, statim occubuit. Epicrates vero pecunia corruptus, Scytopolim & alia finitima loca Judæis manifeste prodidit. Quare auxiliariis hisce copiis nullam Samaritanis opem ferentibus, Hircanus urbem post annum, ex quo illam obsederat, tandem cepit, quam eo inductis torrentibus, & effodiendo ita subruit, ut in cavernas dilaberetur, & ne vestigium quidem urbis ullum appareret (*a*).

ANNO MUNDI 3898. ante Christum 102.

Joannes Hircanus adoptata Sadducæorum secta obiit.

XI. Post eam victoriam Hircanus vitam diu non prorogavit, obiitque postquam per annos 28. & novem menses rebus præfuisset (*b*), etsi Josephus varius sit in assignanda illius Imperii duratione. Summa felicitas Hircano apud Judæos invidiam peperit, quam Pharisæorum, & Sadducæorum æmulatio vehementer auxit. Inter Pharisæos Hircanus enutritus erat, eorumque sectam professus, nunquam non favoris sui in illos exhibuit argumenta. Invitaverat semel ad regale quoddam convivium septem illorum Principes, rogavitque post epulas, exponerent sibi, si quid in tota vita commisisset adversum Justitiæ vel Religioni, juxta recepta in eorum secta dogmata. Ceteri quidem plenis laudibus gesta illius omnia commendarunt; sed Eleazar, ex illis unus, ita Hircanum effatus est. „ Cum vera de te dicere a nobis „ exoptes, illud moriendum suscipimus, siqui„ dem te justum exhibere volueris ut sacra te di-

(*a*) 4. Mach. IV. Joseph. Antiq. l. 13. c. 17. & 18.

(*b*) Usser. ad annum 3898. Calm. in 4. Mach. VII.

„ dignitate abdicans, contentus sis civili gentis „ Imperio. “ Consilii hujus causam requisivit „ Hircanus: tunc alter: “ Hæc tibi suademus, „ quod certo seniorum nostrorum testimonio „ constet, captiva te matre natum esse; qui enim „ ita ortus est, sacram Dignitatem contra Le„ gem gerit. “ Falsa Eleazarum asseruisse affirmat Josephus, ejusque proinde dicta ingratis auribus accepta ab astantibus, non obscuris indiciis palam factum est. At Jonathanus inter Hircani amicos intimus, & Sadducæus zelotes, callide insinuavit viro, dicta illa ita accipi oportere, quasi ab Eleazaro expressa essent ad mentem totius Pharisæorum sectæ. Quare partes illorum perpetuo deserens transivit ad Sadducæos, mandavitque insuper ne quis unquam servare juberet præcepta ex traditione petita; quod apud Pharisæos acceptum, probatissimumque ferebatur. Seditio hinc orta est; quam licet Hircanus tum sedaverit, deinde tamen eo res evasit, ut & ipse, & ejus filii in vulgi odium incurrerint (a).

Hircanus Prophetia claruit.

XII. Hircanum effert Josephus, quod tres maximos simul honores habuerit, Principatum, Sacerdotium, & Prophetiam. Quo die Antigonus & Aristobolus filii ejus Antiochum Cyzicenum ad Scythopolim vicerunt, Hircanus in Templo adolens, eam victoriam divinitus didicit. Ut maximo amore Aristobolum, & Antigonum, ita inexpiabili odio Alexandrum prosequebatur; quem in Gallilæa edu-

(a) Joseph. Antiq. l. 13. c. 18.

cari voluit, neque unquam, dum viveret, in conspectum suum venire permisit, eo quod ipsum post se regnaturum per quietem intellexisset, cum naturali ordine post duos fratres, utpote filiorum tertius, vix regnare posset. Eventus tamen somnii veritatem comprobavit. Antigonus enim nunquam, Aristobolus brevissimo tempore regnum obtinuit (*a*). Hæc Josephus, qui etiam scribit, gemmas rationalis summi Sacerdotis, quæ insueti splendoris irradiatione, rerum eventus, de quibus Deus consulebatur, docebant, post Hircani obitum, Numine ob Judæorum scelera irato, non amplius solito prodigio coruscasse (*b*).

Arax Baris; deinde Antonia, Hircani opus.

XIII. Hircani opus credita est Arx Baris, quæ deinde transiit in ædes Principum Assamonæorum, quoadusque rerum apud Judæos potiti sunt. Perfecit illam Herodes Magnus, reformatamque de nomine M. Antonii appellavit Antoniam. Surgebat super præruptum eminensque 50. cubitis saxum, extra ambitum Templi, sed in eodem monte, ad latus septemtrionale. Quadrata erat moles, duplici stadio gyrans. Ex ea turri usque ad alteram turrim in porta orientali Templi constitutam, pervium sub terra iter, ejusdem Herodis opus, ducebat, tutum contra seditiones subito ortas perfugium. In illa Arce servabantur ornamenta vestesque solemnes summi Sacerdotis, easque ibidem reconditas, statis tantum Anni so-

le-

(*a*) Antiq. l. 13. c. 17. & 20. & de Bello l. 1. c. 3. (*b*) Antiq. l. 3. c. 9.

lemnitatibus extrahendas, Herodes, & poſt ipſum Romani Præſides in ſua poteſtate plerumque habuerunt. Summi Sacerdotis, atque Præfectorum ſacri Ærarii ſigillis muniebantur. Imminenti ante Feſtum die, Arcis Præfectum conveniebant, explorabantque, an ſigilla inviolata manſiſſent: dein illis reſeratis, ex Præfecti manibus ſacras veſtes accipiebant; eoque ſtatim poſt Feſtum, iiſdem ſigillis muniendas, referebant.

Unde Judæorum errores? Tres gentis ſecta. Phariſæi, Sadducæi, & Eſſenii. Phariſæi in Caraitas, Rabbiniſtas, & Cabaliſtas diviſi. Lex ſcripta, & oralis. Talmud, Miſna, & Gemarra. Cabala. Sadducæorum auctor, & errores. Eſſeniorum origo, ethymologia, mores, & claſſes.

CAP. XI.

I. MAchabæorum tempore in Religione Judæorum videre contigit, quod antehac nunquam, ſectas ſcilicet diſtrahentes homines in partes circa Legis dogmata plane ſumma. Quandiu Prophetæ in Iſraele obtinuerunt, in varias ſententias abire, cum de Religione ageretur, nemo unquam cogitavit: tantorum enim virorum auctoritas populos veluti ſub iiſdem ſignis continebat omnes. At vero Prophetarum ſucceſſione deficiente populus fere univerſus tribus hiſce erroribus cœpit infici. I. Expectabat quidem Meſſiam, ſed

Errores inter Judæos ſatis communes.

talem, qualem Deus minime pollicitus erat; strenuum scilicet Heroem, qui & miraculis Judæis summum decus conciliaturus esset. II. Statuebat summam Religionis cæremoniis, & ritibus a Moyse quondam sancitis, externisque nonnullis amoris, & justitiæ erga Israelitas officiis, contineri. III. Excludebat omnes, qui Israelitarum Legem non colerent, a spe obtinendæ salutis.

Tres Pharisæorum, & Essen iorum sectæ.

II. Cum vero Judæi contemptis patriis studiis, ad imitandos Gentilium mores se se contulissent, Pharisæorum, Sadducæorum, & Esseniorum, pari ferme exemplo ac apud Græcos Stoici, Epicuræi, & Pitagorici, distinctas sectas constituere. Quarta deinde paruit Herodianorum secta, de qua, cum ad Evangelium ventum fuerit, agemus. Porro sectæ illæ de nonnullis rebus, sive dogmatibus, inter se consentiebant, quibus sublatis tota simul Judæorum Religio corruisset. Ergo omnes profitebantur, unum esse Deum, cujus Legatus esset Moyses, scriptaque hujus viri, ceterosque veteris Testamenti Libros viam salutis & felicitatis monstrare. At de aliis rebus, maximi sane momenti, & ad ipsam Religionis arcem pertinentibus, summa erat inter eos discordia, ut mox ostendemus.

Sectarum exordium.

III. Vetustissimum de tribus illis sectis monumentum superest in quarto Machabæorum, quem sæpe laudavimus, Libro, ubi legimus, ætate Hircani fuisse apud Judæos tres illas doctorum virorum Sectas, quamvis Essenii nomine *Hasdanim* laudentur (*a*). Paulo ante eam

(*a*) 4. Mach. VI.

eam ætatem Josephus de illis agit, post relatam scilicet epistolam Jonathæ summi Sacerdotis ab Lacedæmones, quæ quidem epistola data est anno 3860. Crediderim profecto non altius, quam ab anno 3830. repeti Sectas illas posse, quando nempe agente Menelao, Jerosolymis Ethnicorum gymnasium constitutum est. S. Hieronymus illas recentiores autumat, siquidem Scribas & Pharisæos ex divisione scholæ Hillelis & Sammai derivat (*a*). Scimus autem, Hillelem, & Sammai Herodis Magni ætate floruisse (*b*). Facile Hillel decus erat Pharisæorum, non vero auctor.

Nomen, & doctrina Pharisæorum.

IV. Nomen Pharisæus ex voce *Phares*, quæ sonat dividere, seu separare, derivatur; quippe qui religiosioris vitæ genere a ceteris Israelitis distinguerentur. Plura quidem illi fato, sive casui, vel æternis Dei decretis tribuebant; eorum tamen de fato sententia nullam libero arbitrio necessitatem imponebat. Astrologiæ deditissimi erant, rati se abditissima Providentiæ consilia Syderum inspectione reseraturos (*c*). Persuasum habebant, animam immortalitate donari, Angelos existere; tum & genus quoddam metempsycosis, non animarum quarumlibet e vulgo, sed probarum tantummodo, admittebant. Porro illis animabus integrum volebant ex alio in aliud corpus migrare, cum interim impii in subterranea loca ad judicium pertracti, æterno, & tenebricoso car-

(*a*) Hieron. in Isa. VIII.

(*b*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 17.

(*c*) Joseph. Antiq. l. 18. c. 2. l. 13. c. 9. & in vita sua.

carceri damnati essent. Defendunt autem, ex pluribus ejusdem animæ contubernio addictis corporibus unum tantummodo in resurrectione reparandum, manentibus ceteris inertibus, & in pulverem resolutis. Sed ipsiusne animæ electioni corpus, quod optaverit, permittetur, an illa invita etiam ad unum singulare cogetur? Hac de re non satis inter illos convenit. Josephus tandem professione Pharisæus in ea fuit sententia, Dæmones scilicet mortalium invasores, ipsissimas esse impiorum animas alienorum corporum contubernium quærentes; quas tamen adjurationum vi interdum depulsas recedere tradit (*a*). Scimus etiam ex Evangelio (*b*), ejus Sectæ viros cupiditates pravas, cogitationes, & rei malæ propositum negligentes, ea tantum crimina deputasse, quæ in externum actum prodirent. Hinc Josephus (*c*) Polybium irridet, quod Deos de inito solum in corde consilio Templum Dianæ expilandi ab Antiocho ultionem exegisse, arbitraretur. In rebus Religionis Veterum traditioni unice studebant, cui tamen quædam sua opinione necessaria addentes, omnia tandem tanquam Veterum auctoritate accepta, obtrudebant. Eo obtentu Legis præcepta multis inferserunt rebus inanibus, superfluis, & duris, quibus id efficiebatur, ut Legis jugum intolerabile redderetur (*d*). Ipsam etiam Legem detortis interpretationibus adeo corruperant, ut eo nomine

(*a*) De Bello l. 7. c. 25.
(*b*) Matth. XXIII. 29. Luc. XI. 47.
(*c*) Antiq. l. 12. c. 13.
(*d*) Mat. XV. 10.

mine a Jesu Christo acrioribus verbis castigari meruerint (a).

V. Ejus Sectæ homines, numero, scientiæ, & vitæ frugi, ac recte institutæ fama adeo invaluere, ut illis vel Reges deferre cogerentur (b). Communi Templi, & Israelitarum excidio superstes secta Pharisæorum mansit, cum hodie usque vulgo Judæi illam sequantur, traditionibus quibusdam pro veterum Pharisæorum more, unice adhærentes. Rabbinorum enim, qui inter Judæos primas obtinent, studia omnia, Legem, Traditionem & Cabalam spectat; quæ tres scientiæ totidem constituunt scholas, & Doctorum sectas. Qui Legi, sive simplici Scripturarum literæ adhærent, *Caraitæ*, idest, Literales, appellantur. Qui Traditionem præferunt, *Rabbinistæ* dicuntur, veluti qui veterum Rabbinorum doctrinæ per manus traditæ student. Habent enim persuasum, Moysem duas recepisse Leges, scriptam scilicet, & oralem; priorem illam jussu Dei mandatam fuisse literis, alteram nonnisi ore traditam, a priscis ad posteros devenisse, fideli semper ex patre in filium traditione. Factum inde, ut æqua utrique Legi conciliaretur auctoritas, tanquam ex uno eodemque Legislatore Deo rogatis. Quin & oralem scriptæ Rabbinistæ præferunt, quod scilicet, si illos differentes audias, Lex scripta obscura identidem sit, manca, & imperfecta, nun-

Pharisæi in Caraitas, Rabbinistas, & Cabalistas dividuntur. Lex scripta, & oralis.

(a) Toto Evangelio, sed potissimum sermone in monte, Matth. v. vi. vii.

(b) Joseph. Antiq. l. 13. c. 18. & de Bello l. 1. c. 4.

nunquam dirigendis hominibus valens, nisi a Lege orali suppleretur, ea corrigente, quæ in scripta deficiunt, salebrasque ejus omnes submovente.

Talmud Jerosolymitanum, ex Misna *& Ge*marra *constans.*

VI. Ex lege orali, *Talmud*, hoc est, doctrina, sive Corpus totius Juris Civilis & Sacri Judæorum profluxit. Duo autem ejusdem nominis opera distinguuntur; quorum primum Talmud Jerosolymitanum, alterum Talmud Babylonicum inscriptum est. Primi operis auctor Rabbinus Johanan, qui cum Academiæ Palæstinæ spatio 80. annorum præfuisset, illud tandem circa annum 300. Æræ Christianæ absolvit. In duas partes distributum est, nempe in *Misnam* & *Gemarram*. Misnam dictavit Rabbi Judas cognomento Sanctus, qui postquam in Galilæa Tiberiadis scholam rexisset, electusque fuisset Princeps Captivitatis, Judæorum scilicet post Templi urbisque eversionem, obiit juxta Bartoloccium circa annum Christi 194., juxta Basnagium vero circa annum 210. vel 215. Misna autem, quæ *secundam Legem* sonat, traditiones Doctorum collectas exhibet, quas simul scribendas Judas censuit, ne in dispersione Judæorum & Scholarum eversione, forte in oblivionem abire contingeret. Opus distributum est in sex partes, in quibus agitur de Seminibus, de Festis, de Nuptiis, de Judiciis, de Idolis, de Sacrificiis, & de Purificationibus. Post 100. annos circiter Rabbi Johanan adornavit in illam commentarium, quem dicunt *Gemarram*, nempe, *complementum*; quo scilicet ultima manus Misnæ imponeretur.

Duo

Duo ista opera in unum collecta, Talmud Jerosolymitanum constituunt.

VII. Talmud Babylonicum præter Misnam Judæ Sancti, Gemarram continet, a Rabbi Ase, qui Scholam Saræ juxta Babylonem moderabatur, adornatum. Florebat Ase 100. annos post Johanan. Cum autem ante impositam supremam operi manum, virum mors surripuisset, ejus filii, sive discipuli, illud absolverunt circa annum 500. Morinus tamen contendit, Talmud Babylonicum nonnisi circa annum 700. absolutum, Jerosolymitanum vero ante sæculum quintum non prodiisse. Ut ut res habeat se se, Jerosolymitanum contractius quidem, atque obscurius est Babylonico, sed eo vetustius habetur. Quamvis autem Talmud, maxime Babylonicum, innumeris scateat fabellis, atque historiolis; de earum tamen veritate ne dubitare quidem citra Religionis dispendium fas est Judæis. *Talmud Babylonicum.*

VIII. Rabbini, qui componendis, comparandisque inter se quibusdam verbis, literis, & numeris incumbentes, sibi futurarum rerum, & difficillimorum Scripturæ locorum abdita pandi jactitant, *Cabalistæ* nuncupantur. Eorum scientia nullis satis certis principiis, sed quibusdam tantum Veterum traditionibus innititur. Cabala idem est ac Traditio; verborum enim mysteria, & interpretationes Moysi in Monte Sina revelata fuisse narrant, ex quo veluti per manus tradita ad illos devenerint. Præstat ut rem uno & altero exemplo pandamus. Literæ Hebraicæ vocis *Jabo schilol*; hoc *Ars Cabalistica.*

est,

est, *Schilol veniet*; quæ in celebri Jacobi vaticinio habentur (*a*), eumdem aritmethicum numerum reddunt, ac *Messiach*, Messias; ex quo recta consecutione deducunt, Schilol ipsum esse Messiam. *Bereschit*, quæ prima est Genesis vox, immutatis literis, reddit *A-Betisri*, scilicet, *prima dies Tisri*; unde inferunt, Mundi creati exordium componendum esse cum prima die hujus mensis, ferme nostro Septembri congruentis.

Cabalistarum Rabbinistarum, & Caraitarum epocha.

IX. Primus Cabalistarum auctor fertur Simon filius Joachim, qui quibusdam paulo ante eversionem Jerusalem per Titum floruit; ab aliis tamen ad decimum Ecclesiæ sæculum rejicitur. Altius repeti potest Rabbinistarum origo; neque enim diffiteri possum, veras aliquas, atque probatas Traditiones apud Judæos a crepundiis usque constitutæ per Moysem Reipublicæ servatas fuisse. Qui enim fieri potest, ut integra aliqua Religio subsistat, absque eo quod plura, maxime ad cæremonias & disciplinam spectantia, mentibus & memoriæ hominum committantur? Schismati autem inter Rabbinistas & Caraitas, quamvis nonnulli initium repetant ex extinctis inter Judæos Prophetis, melius tamen alii vetustiorem præ Talmud originem non tribuunt. Cum Talmud paruisset in publicum, iniquius illud tulerunt probi quique viri, legentes anilia, anachronismos, & fabellas supra fidem, quibus opus illud infertum est. Tandem circa annum 750. Anan Judæus Babylonicus e genere David,

(*a*) Gen. XLIX.

vid, & Saul ejus filius alte, & palam protestati sunt, unum se admittere verbum Dei scriptum, abjectis traditionibus, quæ illi minus congruerent. Ortum hinc Schisma, & inter Sectas odium irreconciliabile (a). Rari sunt Caraitæ in Occidente, frequentes in Polonia, Moscovia, & Oriente: modica tamen turba, si cum immani plane altera Rabbinistarum, eisque cohærentium Cabalistarum, comparetur. Huc nos traxit de veteribus Pharisæis dissertatio.

An Pharisæi inter Hæreticos computandi.

X. Inter novos autem vetereſque Pharisæos summus est opinionum consensus; in jejuniis tamen, aliisque corporis afflictationibus remissior est nostrorum temporum disciplina. Qui de Hæreticis scripserunt Patres, suo ordine inter ceteros Pharisæos recensuerunt, perinde ac illorum Secta a reliquis Judæis ita secreta, atque damnata esset, uti ab Ecclesia Hæretici. Verum alia fuit veterum Sectarum apud Judæos conditio; cum enim illarum errores, vel non essent adhuc explorati, vel saltem tolerarentur, omnes qui eis adhærebant, Synagogæ corpori cum in sacris, tùm in prophanis, quantum videtur, jungebantur.

Sadducæorum auctor, & dogma.

XI. Sectæ suæ authorem & Principem Sadoch agnoscunt Sadducæi, quem virum discipulum & successorem Antigoni Sochæi statuunt, cujus decessor in doctrina fertur Simon Justus summus Judæorum Sacerdos, qui Sacris præfuit ab anno Mundi 3702. usque ad annum 3711. Ex quo elici potest Sadducæorum epo-

(a) Prideaux. Hist. Jud. t. 4.

epocha. Porro Antigonus Sadochi præceptor, singulare quid affectans, cultum Deo purum, atque prorsus gratuitum præstandum esse docebat. Monebat igitur auditores suos, ne vilis mancipii more, spe præmii illecti, venale servitium exhiberent; parerent divinis jussionibus sine lucro; & omni præcisa recipiendæ mercedis spe, seque ad virtutem solo Dei amore impelli sinerent. Singularia erant hæc Judæis Legi assuetis, in qua nihil frequentius, quam de præmiis temporalibus Justis conferendis, atque ultione quæ impios in hac vita maneat. Itaque Antigoni dogmata paucis sane arriserunt. Quare Sadoch ejus discipulus, cum nec tantam magistri virtutem, atque dogmatis puritatem ferre potuisset, simulque deserere virum, quem adeo suspiciebat, non sustineret, axiomati ejus retento absonam de suo interpretationem adjecit: eam proinde invexit opinionem, nihil sive præmii, sive pœnarum in altera vita manere, unde & bonum præstari, & evitari malum alia plane quam præmii spe, sive pœnarum timore oportere. Hæc de Sadducæorum origine Hebræi.

Præcipui Sadducæorum errores.

XII. Potissimi Sadducæorum errores in eo versabantur, ut Angelos, & Animæ immortalitatem negarent, amandantes ad fabulas quæcumque de suppliciis, atque præmiis alterius vitæ ferebantur, quæcumque pariter de resurrectione mortuorum apud ceteros Judæos obtinebant. Quamvis autem præmia omnia, pœnasque alterius vitæ subducerent, Legi tamen exactissime parebant, ejusque observan-

tiam

tiam severis animadversionibus exigebant, quod eorum dogmatibus maxime erat consentaneum. Si enim nullæ manent impios, nisi in hac vita pœnæ, sicut nulla justos nisi in præsenti sæculo præmia, opus sane fuerat ut præmia pariter, & supplicia hic pro Legis observantia, singulorumque meritis distribuerentur.

Libri sacri a Sadducæis minime rejecti.

XIII. Vitio Sadducæis vertitur, omnes Scripturæ Libros, excepto Pentateucho, rejecisse. Hoc tamen falsitatis arguitur. Sadducæi enim post absolutum sacrorum Librorum Canonem paruerunt, cum scilicet nullius arbitrio permitteretur ex sacris Libris rejicere alios, alios recipere. Si viris illis seligendi fuissent Libri dogmatibus suis congruentes, vel saltem non repugnantes, omnium minime Moysis Opera selegissent, in quibus de spectatis ab hominibus Angelis mentio frequens occurrit. Sadducæi Templo, ceterisque cœtibus Religiosis aderant, in quibus omnes indiscriminatim Prophetarum Libri legebantur. Prima denique illis Reipublicæ munera demandata, ne Sacerdotio quidem summo excepto, quod sane nunquam tulissent Judæi, si Scripturarum partem saniorem rejecissent.

Quid de Angelorũ apparitionibus sentirent Sadducæi.

XIV. Qui autem fieri potuit, ut admissis Scripturis, in quibus sæpius de Angelis, eorumque apparitionibus, illorum tamen veritatem Sadducæi negaverint? Facile Angelos non tamquam res ex se ipsis stantes admittebant, sed veluti quasdam a Deo indiscretas virtutes instar radiorum & lucis, quæ vix, ac ne vix quidem a Sole divellerentur. Forte etiam An-

gelos illos nihil aliud fuisse dicebant, quam spectra quædam, & parvo subsistentia tempore phantasmata, quibus nihil præter speciem subesset; aut corpora quædam aerea a Deo mota, vel ab aliquo spiritu mortali, ab hominis anima, mortali illa quidem juxta eorum sententiam, non dissimili, animata, quo ciente naturæ intelligentis functiones præstarent.

Alia Sadducæorum deliramenta.

XV. Rejiciebant Sadducæi veterum Traditiones, non minus ac nostrorum temporum Caraitæ. Pharisæis molliores etiam erant & faciliores, quare eorum Secta numero illis, utpote austero hominum generi & exacto, concedebat, minoremque sibi apud populum conciliaverat famam, venerationem, & amorem, quamquam opibus & potentia plurimum valeret, ejusque res sub Joanne Hircano, illiusque filiis Aristobulo, & Alexandro Jannæo maxime floruerint. Caiphas, sententia in Jesum Christum dicta celebris, & ipse Sadducæus erat. Ignorasse illos Spiritum sanctum, refert S. Epiphanius (*a*). Eo autem nomine nihil aliud facile rejiciebant, quam Spiritum Prophetiæ, hoc est, rectam Scripturarum interpretationem; Prophetas enim ab illos probatos fuisse, jam supra animadvertimus. Corpore Deum constare ex eorum dogmatibus intulisse Arnobius videtur. Non tantum Fatum, sed & Providentiam negabant, asseverantes, Deum sive malum operari, sive noscere, æque a se alienum reputare (*b*). Addebant, homines bonum, malumque habere in arbitrio,

(*a*) Epiphan. Hær. 14. (*b*) Arnob. l. 3.

trio, nihilque illis, nisi quod maxime voluerint, contingere, bono, vel malo usu suæ libertatis. Porro si Deus, quæ ferimus toleramusque mala, non moderatur, si absque Dei ope, mala, vel bona operantes, utriusque fortunæ eventus nobis fabricamus, si nulla manent in altera vita præmia, vel supplicia; quid a Deo posceret Sadducæus, nec in quo potissimum cultum suum, & Religionem constitueret, satis assequerer. Nullo luculentiori argumento intelligimus, quousque tandem Religionis Judaicæ status devenisset, quam quod illa in suo gremio reciperet tam absurdæ opinionis assertores, auctoresque. Malim tamen credere, dogmata illa, Atheistarum propria, nonnullis tantum hujus sectæ viris probata fuisse. Hodie apud reliquos Judæos Sadducæi tantum non extincti, hæreticos audiunt.

XVI. Esseniorum ortus, & nominis etymologia ignoratur. Gentem esse a pluribus sæculis absque conjugio & sexuum commixtione subsistentem tradit Plinius (*a*). In quarto Machabæorum Libro (*b*) Hasdanim appellati, atque jam inde ab Hircani summi Sacerdotis ætate floruisse perhibentur. Judas ætate Aristobuli & Antigoni filiorum Hircani, Esseniorum, qui apud Josephum occurrunt, primus est (*c*). Suidas & alii nonnulli post ipsum, Essenios ex Rechabitis derivant. Cum tamen & in urbibus moratos illos constet, ædesque possedisse, quæ sane omnia a Rechabitarum mori-

Esseniorum origo, & nominis etymologia.

(*a*) Plin. Histor. l. 5. c. 17.
(*b*) 4. Mach. VI.
(*c*) Antiq. l. 13. c. 19.

moribus erant aliena, vix ac ne vix quidem in illius opinionem descendere quimus. Essenios, sive, ut appellat, Jessenios, Samaritanorum sectam autumavit S. Epiphanius (*a*), eorum nomen repetens ex Jesse patre David, sive Jesu; quam vocem Medicum interpretatur; maxime enim decet Essenios Medici appellatio, quod medici animorum haberi voluissent. Hanc tamen narrationem suspiciosam esse in iis maxime, quæ de Samaritana gentis origine tradit, nemo ibit inficias; scitum est enim Judæos fuisse, & a Samaritanis maxime abhorruisse. Nominis Esseniorum duodecim varias sententias recenset Serarius. Ceteris autem præferimus, quæ ex Græco *Hosioi*, Sancti, vel ex Hebraico *Casid*, Misericordia, derivat. Philo enim, cui hæc perspecta esse poterant, in Libro, *Quod omnis probus liber*, docet, Essenios voce Hebræa Sanctos significare, eorumque etymologiam deducit ex *Chasid*. Nec alios credimus Essenios, quam quos primus Machabæorum Liber Synagogam Assidæorum vocat (*b*).

Esseniorũ disciplina. XVII. Esseniorum mores, & disciplinam describunt Josephus, & Philo (*c*). Societatis inter se leges inviolatas servant, divitias contemnunt, bona tantum in communi possidentes; olei, & unguentorum usum ignorant; toto corporis habitu ingenuam quamdam austeritatem spirantes, hominum frugi specimen

(*a*) Epiphan. hær. 29. 2. c. 12.
(*b*) 1. Mach. 11. 42.
(*c*) Joseph. de Bello I. Philo libro laudato.

men exhibent; hospitalitatem exercentes ergã suos, commeatibus ea ratione providere sibi in itinere negligunt; vestes nonnisi longo usu attritas deponunt, ut novas substituant; negotiationes inter se, non pecunia, sed permutatione perficiunt, superfluis necessaria comparantes.

Temporis distributio.

XVIII. Ante ortum Solis silentium inviolatum servant, nulla utentes voce nisi fundendis precibus, ritu a patribus per manus tradito, quas preces ad Solem dirigunt, ut citius oriatur. Orto Sole; agrorum culturæ vacant usque ad quintam diei horam. Hinc omnes in cœtum convenientes, lineis accincti, frigida se totos perfundunt, ac deinde singuli suas ædes repetunt, quo nulli extraneo aditus permittitur. Mox ad commune cœnaculum Templi instar constructum, ubi mensæ accumbentibus post fusas a Sacerdotibus preces, panis & pulmenti portio distribuitur; quo tempore silentium omnibus indictum est. Prandium prece claudunt, eoque peracto, lineis positis, ad pristina exercitia ad vesperam usque regrediuntur. Inde iterum ad cœnaculum redeunt, unaque hospites, si forte aliqui supervenerint.

Tyrocinium, professio, expulsio.

XIX. Datam fidem sancte servant; fide vero ipsa apud illos sacramenti vim obtinente, ab jurejurando velut a perjurio abstinent. Ægrotantium maxima illis est cura, quibus quid minimum deesse non patiuntur. Veterum libros evolventes multiplicem hauriunt scientiam, plantarum nempe, lapidum, radicum, & medicamentorum. Tyrones antequam in ceterorum societatem adsciscant, integro anno

improbis laboribus exercent. Exinde in cœnaculum commune & balneum recipiunt; domus vero penetralia non nisi post duos ulteriores Tyrocinii annos illis adire licet. Eo biennio evoluto, diris sacramentis obstrictos, genere quodam professionis ad legum, pietatis, justitiæ, modestiæ, & fidelitatis in Deum & Principes, observantiam; nulli insuper ex extraneis prodenda Sectæ mysteria, ac tandem ad Libros Patrum servandos, Angelorumque nomina custodienda, adstringunt. Juratæ fidei insigni aliquo crimine violatores, e cœtu pulsi diro mortis genere interire coguntur; cibum enim ab externo terribilibus sacramentis capere prohibiti, herbis veluti bellua quædam victitare coacti, paulatim tandem miseria premente & fame, enecantur. Interdum tamen post exhibita certæ, constantisque pœnitudinis argumenta, a fratribus iterum recipiuntur.

Sabbati religio. Animarũ status.

XX. Post Deum & Moysem, Seniores colunt. Sabbati apud illos ea est Religio, ut neque ignem excitare, quidquam parare, & utensilia domus vel parum amovere, quin & ventrem exonerare fas esse ducant. Dogma de immortalitate Animarum tuentur, easque e summo aere in corpora, insita quadam a natura sympathia tractas, descendere; corporis vero vinculis solutas, pristinas statim sedes, veluti e captivitate redeuntes, repetere. De statu Animarum post mortem pariter cum Ethnicis sentire videntur, qui Justorum animas ad Elisios campos, impiorum vero in Tartara tormentis excruciandas, demittunt.

XXI.

XXI. Donum Prophetiæ apud illos floret, quod acceptum ferunt assiduæ Sacrorum Librorum lectioni, simplicique, ac frugi vitæ instituto. Deum res omnes moderatorem agnoscunt, nihilque absque illius nutu, & decreto, quod fatum vocant, fieri unquam contendentes. Quamquam Essenii omnium suæ gentis religiosissimi haberentur, nunquam tamen Templum adibant, atque a victimis immolandis abstinebant. Verebantur enim, ne commercio ceterorum hominum, quorum mores longe deteriores erant, coinquinarentur. Quare oblationes per alios transmittebant, purique cordis & crimine vacui sacrificia offerebant. Neglecta Logica & Physica, uni tantum morali Philosophiæ studebant. Præcipua tamen erat illorum cura Mosaicam Legem scrutari, cujus lectioni diem Sabbati potissimum impendebant. Ea die in cœtum congregati, suo singuli ordine distincti, primum lectionem, deinde ejus explicationem a viro docto habitam audiebant. Symbolis, allegoriis, & parabolis, priscorum exemplo, delectabantur. Ex his ad 4000. in Judæa extitisse, auctor est Philo. In superioribus Engaddi certas eorum sedes assignare Plinius visus est, tradens insuper, palmarum, quarum est ingens eo loci ubertas, fructibus victitasse. Quamquam multi urbes incolebant, frequentiores tamen in agro morabantur. Terræ cultura, ceterisque ejus generis operosis artibus, quæ viros solitudinis amatores decerent, vitam traducebant.

Dogma, conventus, studia, sedes, numerus.

Esseniorum classes. XXII. Tres erant Esseniorum classes: prima eorum, qui sibi connubia interdicebant; altera, quibus permissæ uxores; tertia, contemplationi unice vacantium, quorum mores & disciplinam sub Therapeutarum nomine alibi ex Philone describam. Quibus liberis procreandis operam dare decretum est, triennio ante nuptias feminam explorant, an bene valeat, atque bene conformatos liberos sit editura: a mulieribus vero prægnantibus abstinent. Feminis Esseniorum idem vitæ genus cum viris præscriptum. Qui connubia fugiunt, aliorum filios enutrientes, cœtus sui spiritum & dogmata tenellis animis imprimunt. Porro de Esseniis neque in Evangelio aliquid, neque illis Christum unquam prædicasse proditum est. Facile tamen S. Joannem Baptistam inter illos vitam aliquamdiu traduxisse crederemus.

LIBER DECIMUS.

Aristobulus Rex post fratris Antigoni cædem obiit, cui Alexander Jannæus succedit. Hunc Lathurus bello aggreditur. Variæ Alexandri victoriæ. Post Gryphi obitum Syria turbatur. Alexander Judæis invisus. Tigranes Syriæ Regno augetur. Hujus Monarchiæ finis. Ægyptiorum res minime quietæ. Alexandra inter Judæos regnat.

CAP. I.

I. Hircanus quinque reliquit filios, nullo in Principem designato. Voluisset ille quidem ordine naturæ servato, Aristobulum natu maximum rebus præficere; sed cum per quietem intellexisset, Alexandrum filiorum tertium post se regnaturum, commisso divinæ voluntati futurorum eventu, moriens, rerum administrationem uxori commisit (*a*). Aristobulus tamen, alio nomine, Judas, & Philellen, scilicet, Græcorum amans, Principatum obtinuit, illumque omnium primus, ut refert Josephus, sumpto diademate in Regnum mutavit, quod uno tantum anno retinuit (*b*). Ut regnare cœpit, Antigonum fratrem suum secundum in Regni societatem accivit; tres vero

ANNO MUNDI 3898. ante Christum 102.

Aristobulus regnat.

(*a*) Joseph. de Bello l. Antiq. l. 13. c. 19. & l. 20. 1. c. 3. & 4. Mach. VII. c. 8.

(*b*) Joseph. ibid. &

vero alios carceri mancipavit. Matrem etiam, Regni æmulam, custodiæ tradidit, eoque crudelitatis processit, ut in vinculis fame necaret. Sed tandem & ipsum Antigonum tragico quodam mortis genere occidit. Res ita describitur.

Antigonus jussu Aristobuli necatur.

II. Aristobolus illato per Antigonum Ituræ bello, magnam ejus partem Judææ adjecit, incolis comminatione exilii coactis circumcisionem, reliquosque Judaicos ritus admittere (*a*). Cum Antigonus ex illa expeditione victor rediisset, nobili comitatu, armisque indutus, Templum intravit die Tabernaculorum, sacrificia pro Rege fratre ægrotante oblaturus. Tunc ab invidis affectatæ dominationis reus apud ipsum Aristobulum accusatus est. Obtendebant, illum Templum adiyisse eo apparatu, qui non alium quam Regem deceret; inde vero regressurum, affirmabant, cum militum manu, ut ipsum opprimeret. Hujusmodi cavillationes quamquam Regi non probarentur, suspicione tamen in fratrem concepta, misit qui illum ad se accerserent, monitum tamen, ut arma prius deponeret. Interim dispositis in obscuro & subterraneo loco, per quem Antigono transeundum erat, custodiæ suæ militibus præcepit Rex, ut si armatus veniret, actutum trucidarent. Reginæ autem & invidorum fraude corrupti nuntii Antigono contraria omnia renuntiarunt; velle scilicet fratrem ut ad se veniret, sed non sine armis, quæ in bello capta inspicere cupie-

(*a*) Strab. ex Timag. Joseph. Antiq. l. 13. c. 19.

cupiebat. Paruit illico Antigonus, assumptisque armis ad Aulam pergebat; quem milites armatum deprehendentes, captum occiderunt. Occisionis autem locus eodem, quo maritima Cæsaræa, Turris Stratonis nomine appellabatur. Comperta rei veritate, criminis pœnitentia statim cœpit Aristobulum, qui morbo ingravescente sanguinem evomit. Qui vero e ministris sanguinem foras efferebat, eo ipso in loco, ubi Antigoni interfecti sanguine terra fædata fuerat, forte collapsus, Aristobuli sanguinem effudit. Quod cum intellexisset Aristobulus, justam Dei vindictam agnoscens, morbo ac dolore tabescens vita excessit.

III. Erat tunc Hierosolymis Judas quidam Essenius, Prophetia celebris. Ille, qua die occidendus erat Antigonus, dixit discipulis, suismet vaticiniis se se jam jam diffidere, quippe qui sæpe prædixisset futurum ut eadem die Antigonus in Turri Stratonia occideretur; diem vero jam inclinare, & Antigonum 600. stadiis a Turri Stratonis distare. Verum paulo post de nece Antigoni in loco, qui, ut diximus, Turris Stratonis pariter dicebatur, nuntium allatum est, quod majorem fidem illius vaticiniis conciliavit.

Celebre Judæ vaticinium.

ANNO MUNDI 3899. ante Christum 101.

IV. Alexandra, quæ & Salome, Aristobuli vidua, cum nullos ex eo suscepisset liberos, Alexandrum Jannæum, tertium defuncti mariti fratrem, e carcere eductum, nuptiis suis donavit, & Regem elegit. Novus Rex unum ex fratribus suis vitæ suæ intentantem interfecit; alium vero, vita privata contentum, hono-

Alexander Jannæus Aristobulo succedit.

honoribus cumulavit. Hunc Absolomum appellatum Pompejus post annos 42. Hierosolymis cepit (*a*).

Alexander Ptolemaidem urget. Lathurus in Cyprum confugit.

V. Bellico ardore Alexander repletus adversus Ptolemaidem exercitum instruxit. Cum oppidanis congressus, ipsos intra urbem repulit, in eaque clausos obsedit. Illi in angustias redacti, Ptolomæi Lathuri in insula Cypri regnantis opem implorarunt. In Syria enim duo fratres, Gryphus, & Cyzicenus, mutuis cladibus suas vires atterentes, Ptolemaidensium periculum negligebant Magna autem in Ægypto facta fuerat mutatio. Cleopatra, cum gravaretur socio Regni filio Ptolomæo Lathuro, populum in eum concitatura, ex omni eunuchorum numero, quos amantissimos sui esse putabat, saucios in concione produxit, Lathurum insimulans & insidias sibi fecisse, & eunuchos vulneribus fædasse. Qua re Alexandrini commoti, Lathuro expulso, Alexandrum fratrem ipsius Regem appellarunt. Antequam ille abiret in exilium Selenen uxorem mater illi abstulit, eo indignius, quod geminos ex ea filios jam suscepisset (*b*).

Lathurus Ptolemaidensibus opitulatur.

VI. Lathurus igitur Ægypti Regno ejectus, Cyprum obtinebat, qui rogatus a Ptolemaidensibus ingentem classem contra Alexandrum comparavit. Demenætus interea, magnæ inter Ptolemaidis cives auctoritatis, ipsos monuit, bellum in Judæos gerere, & extrema quæ-

(*a*) Joseph. Antiq. l. Pausan. in Atticis, p. 8. 13. c. 20. & l. 14. c. 8. Joseph. Antiq. l. 13. c. 20.
(*b*) Justin. l. 39. c. 4.

quæque perferre utilius illis fore, quam Lathurum, certamque deinceps servitutem suscipere. Hujus oratione commoti cives Lathuro Legatos miserunt, qui mutatam urbis voluntatem nuntiarent. Lathurus, his auditis, cœpto itinere non destitit, & Sicaminum, urbem e regione Ptolemaidis appellans, exercitum e peditum, equitumque 30000. fere hominum in littore exposuit. Interim Ptolemaidensibus illum recipere negantibus, Gazensium, & Zoili Tyranni, qui turrim Stratonis & Doram occupaverat, Legati ad Ptolomæum veniunt, postulantes, ut se ab Alexandro Judæorum Rege, ipsorum agros populante, liberaret.

VII. Alexander cum Lathuro pugnam inire metuens, soluta Ptolemaidis obsidione, exercituque domum dimisso, Cleopatram Ptolomæi Lathuri matrem, ut partes suas tueretur sollicitabat; amicitiam vero cum Ptolomæo simulans, 400. illi talenta obtulit, ut Zoilo interfecto, agrum ab ipso occupatum sibi redderet. Brevi tamen Ptolomæus Alexandri fraudem intellexit; quare relictis ad oppugnandam Ptolemaidem cum parte exercitus ducibus, qui eam tandem ceperunt, ipse cum reliquis copiis Judæam ingressus est, expugnatisque nonnullis urbibus, prælium cum Alexandro ad Asophum in ripa Jordanis commisit. Æquo primum marte pugnatum; tandem Lathuro victoria cessit, qui in fugam Judæos versos diutius insecutus, 30000. sive juxta alios 50000. eorum trucidavit. Accidit interea ut

Anno Mundi 3900. ante Christum 100. Lathuri de Alexander victoria.

La-

Lathurus in quemdam Judæorum vicum sub vesperam se reciperet, ubi nonnisi feminas & infantes natus, trucidari omnes eorumque carnes in ollis coquendas præcepit; quo, ait, harum viri, horumque patres regressi, eas dapes nacti, hostes suos humanis carnibus victitare credant, eoque indicio major illis terror incutiatur (*a*).

ANNO MUNDI 3902. ante Christum 98.

Cleopatra capta Ptolemaide, fœdus cum Alexandro init.

VIII. Hac victoria parta, Ptolomæus, nemine in posterum resistente, omnia circumquaque vastabat, suique nominis terrore Provinciam opplevit. Secundis filii rebus Cleopatra sollicitior facta, validum mari, terraque exercitum comparavit. Terrestribus copiis Chelciam, & Ananiam, filios Oniæ, Templi Onion in Ægypto conditoris, præfecit; classem vero deducendam in Phæniciam tradidit Alexandro filio suo; plurimas urbes, excepta Ptolemaide, ultro in deditionem accepit: Chelcias dum rem contra Lathurum prosequitur, occubuit; quare sub Ananiæ ductu Ptolemais urgeri cœpit. Deinde vero Cleopatra superveniente urbs ad deditionem adducta est. Interim Lathurus vacuam præsidio Ægyptum ratus, provinciam invasit; sed frustra ille quidem; præter spem enim missas a Cleopatra copias nactus, pedem referre coactus est. Gazam igitur regressus, ibidem in hybernis substitit. Cleopatra interim Ptolemaide Alexandrum Jannæum se salutaturum, & munera offerentem excepit. Nonnullis autem Cleopatræ familiaribus, ut Judæam sibi subderet hor-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 20. & 21.

hortantibus, Ananias facinoris inhonestatem, injustitiamque demonstravit, ut Principem, qui se illius fidei crediderat, Regno expoliaret; invisamque deinceps Judæis omnibus fore, si id faceret, ostendit; quibus commota cum Alexandro in urbe Scytopoli fœdus inivit.

IX. Alexander copias aliquot in Cæle-Syriam ducens, Gadaram 10. mensibus obsessam, inde Amathuntem firmissimam arcem cepit, in qua Teodorus Zenonis filius, & tyrannus Philadelphiæ, pretiosiora quæque condiderat. Verum Theodorus inopinato Alexandri exercitum invadens, 10000. hominum interfectis, omnia illius impedimenta diripuit. Hac clade Alexander minime territus, Paphiam & Anthedonem ad Mediterraneum obtinuit. Lathurus post hæc in Cyprum recessit, & mater ejus Cleopatra in Ægyptum. Tertio ab hinc anno Alexander Gazam, quæ Lathurum contra se acciverat profectus, omnem circumjacentem agrum vastavit. Apollodorus autem urbis Præfectus, eductis noctu e civitate militibus, Alexandri exercitum vano timore perterritum, tota nocte cæcidit. Judæi enim Lathurum ad opem Gazæ ferendam rediisse credebant. Ut vero illuxit, errore animadverso, animis aucti Gazenses adeo fuderunt, ut mille ex iis interficerent. Neque vero adhuc urbem dedere Gazenses voluere, contenti extrema quæque potius, quam Hebræorum jugum tolerare. Diuturnos tamen post conatus, Lysimachus fratri Apollodoto invidens,

Anno Mundi 3903. ante Christum 97.

Variæ Alexandri victoriæ.

improbis laboribus exercent. Exinde in cœnaculum commune & balneum recipiunt; domus vero penetralia non nisi post duos ulteriores Tyrocinii annos illis adire licet. Eo biennio evoluto, diris sacramentis obstrictos, genere quodam professionis ad legum, pietatis, justitiæ, modestiæ, & fidelitatis in Deum & Principes, observantiam; nulli insuper ex extraneis prodenda Sectæ mysteria, ac tandem ad Libros Patrum servandos, Angelorumque nomina custodienda, adstringunt. Juratæ fidei insigni aliquo crimine violatores, e cœtu pulsi diro mortis genere interire coguntur; cibum enim ab externo terribilibus sacramentis capere prohibiti, herbis veluti bellua quædam victitare coacti, paulatim tandem miseria premente & fame, enecantur. Interdum tamen post exhibita certæ, constantisque pœnitudinis argumenta, a fratribus iterum recipiuntur.

Sabbati religio. Animarũ status.

XX. Post Deum & Moysem, Seniores colunt. Sabbati apud illos ea est Religio, ut neque ignem excitare, quidquam parare, & utensilia domus vel parum amovere, quin & ventrem exonerare fas esse ducant. Dogma de immortalitate Animarum tuentur, easque e summo aere in corpora, insita quadam a natura sympathia tractas, descendere; corporis vero vinculis solutas, pristinas statim sedes, veluti e captivitate redeuntes, repetere. De statu Animarum post mortem pariter cum Ethnicis sentire videntur, qui Justorum animas ad Elisios campos, impiorum vero in Tartara tormentis excruciandas, demittunt.

XXI.

XXI. Donum Prophetiæ apud illos floret, quod acceptum ferunt assiduæ Sacrorum Librorum lectioni, simplicique, ac frugi vitæ instituto. Deum res omnes moderatorem agnoscunt, nihilque absque illius nutu, & decreto, quod fatum vocant, fieri unquam contendentes. Quamquam Essenii omnium suæ gentis religiosissimi haberentur, nunquam tamen Templum adibant, atque a victimis immolandis abstinebant. Verebantur enim, ne commercio ceterorum hominum, quorum mores longe deteriores erant, coinquinarentur. Quare oblationes per alios transmittebant, purique cordis & crimine vacui sacrificia offerebant. Neglecta Logica & Physica, uni tantum morali Philosophiæ studebant. Præcipua tamen erat illorum cura Mosaicam Legem scrutari, cujus lectioni diem Sabbati potissimum impendebant. Ea die in cœtum congregati, suo singuli ordine distincti, primum lectionem, deinde ejus explicationem a viro docto habitam audiebant. Symbolis, allegoriis, & parabolis, priscorum exemplo, delectabantur. Ex his ad 4000. in Judæa extitisse, auctor est Philo. In superioribus Engaddi certas eorum sedes assignare Plinius visus est, tradens insuper, palmarum, quarum est ingens eo loci ubertas, fructibus victitasse. Quamquam multi urbes incolebant, frequentiores tamen in agro morabantur. Terræ cultura, ceterisque ejus generis operosis artibus, quæ viros solitudinis amatores decerent, vitam traducebant.

Dogma, conventus, studia, sedes, numerus.

Esseniorum classes. XXII. Tres erant Esseniorum classes: prima eorum, qui sibi connubia interdicebant; altera, quibus permissæ uxores; tertia, contemplationi unice vacantium, quorum mores & disciplinam sub Therapeutarum nomine alibi ex Philone describam. Quibus liberis procreandis operam dare decretum est, triennio ante nuptias feminam explorant, an bene valeat, atque bene conformatos liberos sit editura: a mulieribus vero prægnantibus abstinent t. Feminis Esseniorum idem vitæ genus cum viris præscriptum. Qui connubia fugiunt, aliorum filios enutrientes, cœtus sui spiritum & dogmata tenellis animis imprimunt. Porro de Esseniis neque in Evangelio aliquid, neque illis Christum unquam prædicasse prodi-tum est u. Facile tamen S. Joannem Baptistam inter illos vitam aliquamdiu traduxisse crederemus.

L I-

LIBER DECIMUS.

Ariſtobulus Rex poſt fratris Antigoni cædem obiit, cui Alexander Jannæus ſuccedit. Hunc Lathurus bello aggreditur. Variæ Alexandri victoriæ. Poſt Gryphi obitum Syria turbatur. Alexander Judæis inviſus. Tigranes Syriæ Regno augetur. Hujus Monarchiæ finis. Ægyptiorum res minime quietæ. Alexandra inter Judæos regnat.

CAP. I.

I. HIrcanus quinque reliquit filios, nullo in Principem deſignato. Voluiſſet ille quidem ordine naturæ ſervato, Ariſtobulum natu maximum rebus præficere; ſed cum per quietem intellexiſſet, Alexandrum filiorum tertium poſt ſe regnaturum, commiſſo divinæ voluntati futurorum eventu, moriens, rerum adminiſtrationem uxori commiſit (*a*). Ariſtobulus tamen, alio nomine, Judas, & Philellen, ſcilicet, Græcorum amans, Principatum obtinuit, illumque omnium primus, ut refert Joſephus, ſumpto diademate in Regnum mutavit, quod uno tantum anno retinuit (*b*). Ut regnare cœpit, Antigonum fratrem ſuum ſecundum in Regni ſocietatem accivit; tres vero

ANNO MUNDI 3898. ante Chriſtum 102.

Ariſtobulus regnat.

(*a*) Joſeph. de Bello l. Antiq. l. 13. c. 19. & l. 20. 1. c. 3. & 4. Mach. VII. c. 8.
(*b*) Joſeph. ibid. &

vero alios carceri mancipavit. Matrem etiam, Regni æmulam, custodiæ tradidit, eoque crudelitatis processit, ut in vinculis fame necaret. Sed tandem & ipsum Antigonum tragico quodam mortis genere occidit. Res ita describitur.

Antigonus jussu Aristobuli necatur.

II. Aristobolus illato per Antigonum Ituræ bello, magnam ejus partem Judææ adjecit, incolis comminatione exilii coactis circumcisionem, reliquosque Judaicos ritus admittere (*a*). Cum Antigonus ex illa expeditione victor rediisset, nobili comitatu, armisque indutus, Templum intravit die Tabernaculorum, sacrificia pro Rege fratre ægrotante oblaturus. Tunc ab invidis affectatæ dominationis reus apud ipsum Aristobulum accusatus est. Obtendebant, illum Templum adiyisse eo apparatu, qui non alium quam Regem deceret; inde vero regressurum, affirmabant, cum militum manu, ut ipsum opprimeret. Hujusmodi cavillationes quamquam Regi non probarentur, suspicione tamen in fratrem conceptа, misit qui illum ad se accerserent, monitum tamen, ut arma prius deponeret. Interim dispositis in obscuro & subterraneo loco, per quem Antigono transeundum erat, custodiæ suæ militibus præcepit Rex, ut si armatus veniret, actutum trucidarent. Reginæ autem & invidorum fraude corrupti nuntii Antigono contraria omnia renuntiarunt; velle scilicet fratrem ut ad se veniret, sed non sine armis, quæ in bello capta inspicere cupie-

(*a*) Strab. ex Timag. Joseph. Antiq. l. 13. c. 19.

cupiebat. Paruit illico Antigonus, assumptisque armis ad Aulam pergebat; quem milites armatum deprehendentes, captum occiderunt. Occisionis autem locus eodem, quo maritima Cæsaræa, Turris Stratonis nomine appellabatur. Comperta rei veritate, criminis pœnitentia statim cœpit Aristobulum, qui morbo ingravescente sanguinem evomit. Qui vero e ministris sanguinem foras efferebat, eo ipso in loco, ubi Antigoni interfecti sanguine terra fœdata fuerat, forte collapsus, Aristobuli sanguinem effudit. Quod cum intellexisset Aristobulus, justam Dei vindictam agnoscens, morbo ac dolore tabescens vita excessit.

Celebre Judæ vaticinium.

III. Erat tunc Hierosolymis Judas quidam Essenius, Prophetia celebris. Ille, qua die occidendus erat Antigonus, dixit discipulis, suismet vaticiniis se se jam jam diffidere, quippe qui sæpe prædixisset futurum ut eadem die Antigonus in Turri Stratonia occideretur; diem vero jam inclinare, & Antigonum 600. stadiis a Turri Stratonis distare. Verum paulo post de nece Antigoni in loco, qui, ut diximus, Turris Stratonis pariter dicebatur, nuntium allatum est, quod majorem fidem illius vaticiniis conciliavit.

ANNO MUNDI 3899. ante Christum 101.

Alexander Jannæus Aristobulo succedit.

IV. Alexandra, quæ & Salome, Aristobuli vidua, cum nullos ex eo suscepisset liberos, Alexandrum Jannæum, tertium defuncti mariti fratrem; e carcere eductum, nuptiis suis donavit, & Regem elegit. Novus Rex unum ex fratribus suis vitæ suæ intentantem interfecit; alium vero, vita privata contentum, hono-

honoribus cumulavit. Hunc Absolomum appellatum Pompejus post annos 42. Hierosolymis cepit (*a*).

Alexander Ptolemaidem urget. Lathurus in Cyprum confugit.

V. Bellico ardore Alexander repletus adversus Ptolemaidem exercitum instruxit. Cum oppidanis congressus, ipsos intra urbem repulit, in eaque clausos obsedit. Illi in angustias redacti, Ptolomæi Lathuri in insula Cypri regnantis opem implorarunt. In Syria enim duo fratres, Gryphus, & Cyzicenus, mutuis cladibus suas vires atterentes, Ptolemaidensium periculum negligebant Magna autem in Ægypto facta fuerat mutatio. Cleopatra, cum gravaretur socio Regni filio Ptolomæo Lathuro, populum in eum concitatura, ex omni eunuchorum numero, quos amantissimos sui esse putabat, saucios in concione produxit, Lathurum insimulans & insidias sibi fecisse, & eunuchos vulneribus fœdasse. Qua re Alexandrini commoti, Lathuro expulso, Alexandrum fratrem ipsius Regem appellarunt. Antequam ille abiret in exilium Selenen uxorem mater illi abstulit, eo indignius, quod geminos ex ea filios jam suscepisset (*b*).

Lathurus Ptolemaidensibus opitulatur.

VI. Lathurus igitur Ægypti Regno ejectus, Cyprum obtinebat, qui rogatus a Ptolemaidensibus ingentem classem contra Alexandrum comparavit. Demenætus interea, magnæ inter Ptolemaidis cives auctoritatis, ipsos monuit, bellum in Judæos gerere, & extrema quæ-

(*a*) Joseph. Antiq. l. Pausan. in Atticis, p. 8. 13. c. 20. & l. 14. c. 8. Joseph. Antiq. l. 13. c. 20.
(*b*) Justin. l. 39. c. 4.

quæque perferre utilius illis fore, quam Lathurum, certamque deinceps servitutem suscipere. Hujus oratione commoti cives Lathuro Legatos miserunt, qui mutatam urbis voluntatem nuntiarent. Lathurus, his auditis, cœpto itinere non destitit, & Sicaminum, urbem e regione Ptolemaidis appellans, exercitum e peditum, equitumque 30000. fere hominum in littore exposuit. Interim Ptolemaidensibus illum recipere negantibus, Gazensium, & Zoili Tyranni, qui turrim Stratonis & Doram occupaverat, Legati ad Ptolomæum veniunt, postulantes, ut se ab Alexandro Judæorum Rege, ipsorum agros populante, liberaret.

ANNO MUNDI 3900. ante Christum 100.

Lathuri de Alexander victoria.

VII. Alexander cum Lathuro pugnam inire metuens, soluta Ptolemaidis obsidione, exercituque domum dimisso, Cleopatram Ptolomæi Lathuri matrem, ut partes suas tueretur sollicitabat; amicitiam vero cum Ptolomæo simulans, 400. illi talenta obtulit, ut Zoilo interfecto, agrum ab ipso occupatum sibi redderet. Brevi tamen Ptolomæus Alexandri fraudem intellexit; quare relictis ad oppugnandam Ptolemaidem cum parte exercitus ducibus, qui eam tandem ceperunt, ipse cum reliquis copiis Judæam ingressus est, expugnatisque nonnullis urbibus, prælium cum Alexandro ad Asophum in ripa Jordanis commisit. Æquo primum marte pugnatum; tandem Lathuro victoria cessit, qui in fugam Judæos versos diutius insecutus, 30000. sive juxta alios 50000. eorum trucidavit. Accidit interea ut La-

Lathurus in quemdam Judæorum vicum sub vesperam se reciperet, ubi nonnisi feminas & infantes natus, trucidari omnes eorumque carnes in ollis coquendas præcepit; quo, ait, harum viri, horumque patres regressi, eas dapes nacti, hostes suos humanis carnibus victitare credant, eoque indicio major illis terror incutiatur (*a*).

ANNO MUNDI 3902. ante Christum 98.

Cleopatra capta Ptolemaide, fœdus cum Alexandro init.

VIII. Hac victoria parta, Ptolomæus, nemine in posterum resistente, omnia circumquaque vastabat, suique nominis terrore Provinciam opplevit. Secundis filii rebus Cleopatra sollicitior facta, validum mari, terraque exercitum comparavit. Terrestribus copiis Chelciam, & Ananiam, filios Oniæ, Templi Onion in Ægypto conditoris, præfecit; classem vero deducendam in Phæniciam tradidit Alexandro filio suo; plurimas urbes, excepta Ptolemaide, ultro in deditionem accepit: Chelcias dum rem contra Lathurum prosequitur, occubuit; quare sub Ananiæ ductu Ptolemais urgeri cœpit. Deinde vero Cleopatra superveniente urbs ad deditionem adducta est. Interim Lathurus vacuam præsidio Ægyptum ratus, provinciam invasit; sed frustra ille quidem; præter spem enim missas à Cleopatra copias nactus, pedem referre coactus est. Gazam igitur regressus, ibidem in hybernis substitit. Cleopatra interim Ptolemaide Alexandrum Jannæum se salutaturum, & munera offerentem excepit. Nonnullis autem Cleopatræ familiaribus, ut Judæam sibi subderet hor-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 20. & 21.

hortantibus, Ananias facinoris inhonestatem, injustitiamque demonstravit, ut Principem, qui se illius fidei crediderat, Regno expoliaret; invisamque deinceps Judæis omnibus fore, si id faceret, ostendit; quibus commota cum Alexandro in urbe Scytopoli fœdus inivit.

IX. Alexander copias aliquot in Cæle-Syriam ducens, Gadaram 10. mensibus obsessam, inde Amathuntem firmissimam arcem cepit, in qua Teodorus Zenonis filius, & tyrannus Philadelphiæ, pretiosiora quæque condiderat. Verum Theodorus inopinato Alexandri exercitum invadens, 10000. hominum interfectis, omnia illius impedimenta diripuit. Hac clade Alexander minime territus, Paphiam & Anthedonem ad Mediterraneum obtinuit. Lathurus post hæc in Cyprum recessit, & mater ejus Cleopatra in Ægyptum. Tertio ab hinc anno Alexander Gazam, quæ Lathurum contra se acciverat profectus, omnem circumjacentem agrum vastavit. Apollodorus autem urbis Præfectus, eductis noctu e civitate militibus, Alexandri exercitum vano timore perterritum, tota nocte cæcidit. Judæi enim Lathurum ad opem Gazæ ferendam rediisse credebant. Ut vero illuxit, errore animadverso, animis aucti Gazenses adeo fuderunt, ut mille ex iis interficerent. Neque vero adhuc urbem dedere Gazenses voluere, contenti extrema quæque potius, quam Hebræorum jugum tolerare. Diuturnos tamen post conatus, Lysimachus fratri Apollodoto invidens,

ANNO MUNDI 3903. ante Christum 97.

Variæ Alexandri victoriæ.

dens, quod apuod Gazenses tam gratiosus esset, eo occiso urbem Alexandro tradidit. Qui primo pacatus ingressus est, sed data deinde militibus sæviendi licentia, cives passim trucidabantur. Nec tamen illi moriebantur inulti, sed repugnantes invasoribus, non pauciores Judæos interimebant. Direpta urbe Alexander Hierosolymam regressus est (*a*).

Anno Mundi 3907. ante Christum 93.

Gryphus occiditur. Variæ in Syriæ Regno turbæ.

X. Eodem ferme tempore Antiochus Gryphus post exactos 26. Regni annos, quorum 15. postremos, partito cum fratre Cyzicæno imperio, regnavit, Heracleonis insidiis occisus est (*b*). Superstites reliquit quinque filios, Seleucum Regni successorem, Antiochum & Philippum gemellos, Demetrium Euchærum, & Antiochum Dionysium. Post tres annos Antiochus quoque Cyzicænus, Gryphi frater, prælio victus a Seleuco nepote suo, Regno, & vita privatus est. Sed & ipse Seleucus post breve Regnum deturbatus ab Antiocho Eusebo, sive Pio, filio patrui sui Cyzicæni, Mopsuestiæ in Cilicia, ubi tributa exigebat, una cum Regina & amicis crematus est. Gemelli fratres Antiochus, & Philippus adductis copiis Mopsuestiam vi ceperunt, eamque, fraternam mortem ulti, diruerunt. Superveniens vero Antiochus Pius prælio eos devicit. Et Antiochus quidem equo in Orontem e pugna fugiens submersus est, frater vero illius Philippus, reparato bello, cum Antiocho Pio de universo Syriæ Regno decertavit. Secundum hæc

(*a*) Joseph. de Bello l. 1. c. 3. & Antiq. l. 13. c. 21.

(*b*) Usser. ad an. 3907.

hæc Ptolomæus Lathurus quartum Gryphi filium Demetrium Euchærum Damafci Regem conftituit. Cui, cum fratre Philippo copias conjungenti, Antiochus Pius ftrenue reftitit; fed tandem ad Parthos fugere coactus eft; atque ita Syriæ Regnum penes duos fratres Gryphi filios manfit. Reverfo tamen e Parthis Antiocho Pio, tum ab eo, tum a Philippo fratribufque illius Demetrio Euchæro, & Antiocho Dionyfio plura excitata funt bella (*a*).

Alexander injuriis a Judæis affectus.

XI. Alexander Jannæus ab expeditione Gazenfi Hierofolymam regreffus, pace, quam fperabat, fruftratus eft. Judæi enim in ipfum conjurantes, dum in Tabernaculorum Fefto de more facrificium offerret, Templum ingreffi, citrea in ipfum conjecere. Mos enim per illius Fefti dies Hebræis erat palmarum & citreorum thyrfos, fructibus onuftos manibus geftare. Dicteria injuriis addidere, ipfum qui in carcere detentus fuiffet, Pontificatus minifterio indignum exprobrantes. Hifce tactus Alexander armis in contumaces verfis fex pene illorum millia interfecit; longumque circa Altare, & interius Templum ligneum feptum conftrui juffit, ut populus ab Altari, in quo Secerdotes fuis muneribus fungebantur, prohiberet. Quinimo, ne in pofterum pares a Judæis infultus fibi metueret, Syriis neglectis, quos invifos habebat, Pifidum & Cilicum copias confcripfit.

Implacabile Judæorum in Alexandrum odium.

XII. Bellum deinde in Moabitas, & Ammo-

(*a*) Uffer. ad an. 39. 13.

monitas tulit, victisque tributum imposuit. Tum Amathuntem trans Jordanem sitam invasit, soloque æquavit, Theodoro Zenonis filio cum eo congredi minime audente. Bellum autem Obedæ Arabum Regi inferens, in insidias prope Gadaram imprudens incidit; cumque camelorum multitudine protrusus esset in fauces asperas, & accessu difficiles, ægre evasit ipse incolumis. Hierosolymam deinde rediens, atque furentes in se Judæos sentiens, per sex annos bellum cum eis gerere coactus est, quorum supra 50000. trucidavit. Quidquid ad ineundam eorum amicitiam conabatur, majoris odii fomitem ministrabat; adeo ut poscenti quid sibi agendum foret, ut cum eis pacem firmaret; Si te interfeceris, uno ore responsum est; statimque Demetrii Euchæri opem contra Alexandrum per Legatos poposcerunt.

Alexandri calamitate tanguntur Judæi.

XIII. Demetrio igitur cum exercitu 40000. peditum, & 3000. equitum Judæam ingresso, & prope Sichem castrametato, Alexander cum exercitu 20000. Judæorum atque 6000. advenarum occurrit. Commisso prælio Alexander fractus, in proximos montes se recipere coactus est; qua calamitate Rex adeo Judæos commovit, ut plurimis ad illum confluentibus, brevi 6000. virorum copias compararit. Euchærus autem veritus, ne mora numerus augeretur, motis castris recessit; qui deinde adversus Philippum fratrem suum pugnans, victus est; cumque ad Parthos confugisset, ibi honoribus cumulatus, tandem e vivis excessit.

Phi-

Philippus post eam victoriam totius Syriæ Regno potitus est (*a*).

XIV. Alexander dein Judæos perduelles, externis viribus destitutos, prosperis semper eventibus profligavit. Clausos demum obstinatissimos in loco quodam Betham nomine obsedit, captosque Hierfolymam duxit; quorum 800. coram se, cum concubinis convivante, crucifigi jussit, eorumque uxores & filios ante expirantium oculos jugulari. Inauditum profecto crudelitatis exemplum, quo a suis Thracides appellari meruit, ac si crudelior velut Thrax diceretur. Hoc audito, 8000. seditiosorum, quæ adhuc in armis erant, perterrita, in tutum se recepere, pacata Alexandro Regni administratione relicta.

Alexander Thracides appellatus.

XV. Inter hæc, Cleopatra Ægypti Regina cum occultis insidiis filio suo Alexandro exitium machinaretur, ab eodem præoccupata, occiditur; digna prorsus hac mortis infamia, quæ matrem thoro expulerat, duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecerat, & filiorum alteri in exilium acto bellum intulerat, alteri erepto Regno mortem paraverat. Ut primum tamen compertum est, ab Alexandro matrem interfectam esse, concursu populi facto, ille civium metu aufugit. Tunc Alexandrini, missis in Cyprum Legatis fratri Ptolomæo Lathuro inde revocato Regnum Ægypti iterum reddiderunt (*b*).

ANNO MUNDI *3916.* ante Christum 84.

Post Cleopatræ necem Lathurus in Ægyptum revocatur.

K 2 XVI.

(*a*) Joseph. Antiq. l. Pausan. in Atticis, p. 8. 13. c. 21. & 22. Athenæus l. 12. c. 27. Usser.

(*b*) Justin. l. 39. c 4. ad an. 3916.

ANNO MUNDI 3919. ante Christum 81.

Antiochus Dionysius frustra tentata Judæa occiditur. Alexander victor Hierosolymam revertitur.

XVI. Potitus Damasci Regno Antiochus Dionysius, Philippi frater & hostis, expeditionem in Judæam decrevit. De hac monitus Alexander, belli aleam evitaturus, fossam satis profundam ab Antipatride ad Joppen, qua in Provinciam solummodo aditus patebat, excavari, murumque castellis ligneis munitum, excitari jussit. Antiochus castellis invasis, arma in Arabes vertit, a quibus prælio interfectus est. Post Antiochi Dionysii mortem, Aretas, a Damascenis Regno prælatus, in Judæam veniens, Alexandrum prope Adidam ad Orientem Gazæ, & Anthedonis, profligavit. Firmata postmodum inter ipsos certis legibus pace, regressoque Damascum Areta, Alexander Diam, sive Dium, prope Pellam, in Decapoli obsedit, eaque capta exercitum in Essam, seu Gerasam duxit, ubi Theodorus Zenonis filius thesaurum suum habebat. Hanc urbem cum triplici muro obsedisset, vi tandem cepit. Tum ad Gaulonis & Seleuciæ obsedionem profectus est, quas & subegit una cum Antiochi valle, & arce Gamala; objectisque multis criminibus Demetrio locorum eorum domino, eum principatu expoliavit, victorque in Judæam, a qua tribus annis ea expeditione distractus abfuerat, regressus est (*a*). Reducem Judæi ob eventuum felicitatem læti excepere; eoque dominante Hebræorum Regnum plurimis urbibus, quas ipse subegit, auctum est.

XVII.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 23.

XVII. Interim res Syriæ magnam subiere mutationem: cum enim Seleucidæ mutuis bellis se se delerent, & alii in aliis Syrorum partibus imperarent de extraneis Regibus defendendam atque regendam Provinciam, deliberatum est. Cum autem alii Mithridatem Parthorum Regem, alii Lathurum Regem Ægypti accersendum contenderent, de tertio quodam, nempe Tigrane Rege Armeniæ convenere. Accitus igitur Tigranes Syriæ Regnum 18. annorum spatio, usque ad Pompejum, administravit. Antiochus tamen, quem Asiaticum dixere, ejusque frater, filii Antiochi Pii, Syriæ partem a Tigrane non occupatam, tenuerunt (*a*).

Anno Mundi 3921. ante Christum 79. *Tigranes in Syriæ Regem adscitus.*

XVIII. Ptolomæus Lathurus, postquam imperasset annis 36. & sex mensibus, Regnum Ægypti filiæ suæ Cleopatræ reliquit. Porro Cleopatræ Regnum semestre tantum fuit, Sylla enim Dictator Alexandrum, Ptolomæi Alexandri matricidæ filium, & Lathuri nepotem, Alexandrinis præfecit; qui ducta in uxorem Ægypti Regina Cleopatra, postquam cum illa per dies 19. regnasset, ipsam interemit, ac deinde annis quindecim solus imperavit (*b*). Interim sane Antiochus Asiaticus, & illius frater iter Romanum susceperunt, Regnum Ægypti, quod jure materno Cleopatræ Silenes sibi debitum contendebat, a Senatu po-

Anno Mundi 3923. ante Christum 77. *Lathurum excipit Cleopatra Cleopatram Alexander.*

K 3 stu-

(*a*) Justin. l. 40. c. 1. & 2. Usser. ad an. 3921. & 3924.

(*b*) Usser. ad an. 3923. Vide cap. sequen. n. 7.

Anno Mundi 3926. ante Christum 74.

stulaturi. Sed sublata a Tigrane Cleopatra, spes omnis evanuit.

Mortuo Alexandro Alexandra uxor succedit.

XIX. Alexander Jannæus, Judæorum Rex, nimio vini potu ægrotans, postquam tribus annis quartana laborasset, ad militaria tamen munera exercenda liber, viribus destitutus obiit in regione Gerasæ, dum oppidum Ragaba trans Jordanem obsideret (*a*). Hunc, cum Regina morti proximum cerneret, & quæ post illius obitum a contumaci, seditiosoque populo sibi metuenda forent, prævideret, præsertim filiis ad negotia capessenda minime per ætatem idoneis, quid sibi agendum consuluit. Cui Alexander pacatum Regnum habituram ait, si mortem suam militibus tantum post Ragabæ victoriam aperiret; tum si Hierosolymam rediens Pharisæis partem aliquam & potestatem in Regni administratione concederet; suo deinde cadavere proceribus illorum sevocatis exhibito, ipsis, ut liberet, eo abuti permitteret, ut exercitam in illos tyrannidem ulciscerentur; nil denique ipsis inconsultis in regimine decreturam se polliceretur. Ea, subdidit, si præstiteris, splendido me funere efferendum, teque eorum fama, & auctoritate fretam, Regnum pacifice moderaturam, scito. Alexander Jannæus duos sibi superstites filios reliquit, Hircanum & Aristobulum, Regni vero administrationem Reginæ Alexandræ uxori suæ commisit. Expiravit annos natus 48. quorum 27. regnavit. Celebre castellum Alexandrium Alexandro debetur.

Post

(*a*) Joseph. Antiq. l. 13. c. 23.

Post Alexandram Aristobulus regnat. Quis Antipater? Pompejus capta Hierosolyma Hircanum rebus præficit, Aristobulum vero in triumphum ducit. Alexander Judæam turbat; Crassus Templum expilat. Aristobulus & Alexander necantur. Hircanus partes Cæsaris tuetur. Pompeji & Ptolomæorum interitus. Phasael & Herodes florent. Cæsar & Antipater tolluntur. Antonius favet Herodi contra Antigonum, qui tamen Regno potitur. Herodes, a Romanis declaratus Rex, Antigonum superat, & Hierosolymam capit. Misera Antigoni mors.

CAP. II.

I. Alexandra, capto Ragabæ castello, juxta mariti monita Pharisæos allocuta est, qui his honoribus illecti, Regem maximis palam laudibus extulerunt, eum scilicet Regnum juste administrasse, ipsumque dignum, cujus funus summo honore a populo celebraretur. Horum verbis populo persuaso, tanto honore elatus est Alexander Jannæus, ut nemo antea Rex tam splendidum funus habuerit. Porro Alexandra populo ultro consentiente Regni administrationem suscepit, quod omnia, quæ ab Alexandro viro suo adversus populum gesta fuissent, improbare videretur, Hircanum filium suum ad summum Sacerdotium extulit, non tam ætatis prærogativa, quam propter innatam illius segnitiem; Ari-

ANNO MUNDI 3926. ante Christum 74.

Alexandra Pharisæorum favore fulta Regnum administrat.

ſtobulum vero indole audaci, & induſtria præditum, in privata fortuna, ne ſuo obſiſteret imperio, detinuit. Quamvis autem Alexandra Reginæ nomine, Phariſæi tamen poteſtate fruebantur. Quaſdam nihilominus magni momenti res ſuo arbitrio geſſit, ingentemque militum copiam ſuo ſtipendio aluit; adeo ut finitimis ſe formidabilem reddiderit, & ab ipſis obſides acceperit. Illa rerum potiente, tranquilla pace Regnum fruebatur, nec ullus extraneus hoſtis populi quietem perturbabat.

ANNO MUNDI 3933. ante Chriſtum 67. *Turbæ a Phariſæis excitatæ.*

II. Phariſæi tamen domi turbas aliquas concivere, cum a Regina 800. hominum ab Alexandro crucifixorum ultionem repeterent, & hujus immanitatis auctores ſibi permitti, poſtularent. Quemdam igitur ex Sadducæis ſpectatiſſimum, Diogenem nomine, primo jugularunt, tum alios poſt alios, ita ut nulla Alexandri amicis ſecuritas ſupereſſet. Aulicorum Proceres, & qui in defuncti Regis exercitu militaverant, Ariſtobulo præcedente, eorum quæ gerebantur, indignationem ore præſeferentes, ad regias Ædes concurrerunt, Reginam orantes ut quando nulla veteris ſervitutis ratio haberetur, cedere ſaltem, & vitam a Phariſæorum inſolentia ſervare liceret. Ceteris vero concitatiorem ſe præbuit Ariſtobulus, qui & matrem Alexandram vehementiori oratione redarguit. Illa, quid ageret, incerta, veteres hoſce miniſtros in diverſas Regni arces diſtribuit, exceptis Hircanio, Arexandrio, & Macherunte, in quibus pretioſiora quæque condiderat.

III.

III. Paulo post Alexandra Aristobulum filium cum exercitu Damascum misit, ut Ptolomæum Mennæum, qui urbem hanc infestabat, expelleret. In qua expeditione nihil memoria dignum ab Aristobulo gestum est. Post hæc, cum Tigranes ad Ptolemaidem obsidendam venisset, Alexandra Legatos ad illum cum muneribus misit, qui a finibus ejus Regni illum precario averterent. Tigranes Legatis honorifice acceptis, Reginæ rationem se habiturum pollicitus est. Interim in Armeniam redire coactus est, ut Lucullo illam vastanti resisteret. *Alexandra Tigranem sibi conciliat.*

IV. Cum Alexandra graviter ægrotasset, Aristobulus eorum, quæ jamdiu decreverat, executionem differendam non esse, arbitratus est. Quamobrem noctu, unico tantum famulo comitante, ad omnia castella, quibus paterni amici præerant, profectus est, ut illis potitus, Pharisæos anteverteret, quos Regnum occupaturos timebat. Crastina vero die, ut illuxit, cognito Aristobuli discessu, metuit Regina, ne novi aliquid moliretur; eamque suspicionem frequentes nuntii confirmarunt, arces plerasque se Aristobulo dedisse referentes; Regina in re subita quærens remedium, uxorem & filios Aristobuli in arce ad Templum clausit, ut eo veluti freno ab inceptis cohiberetur. Ille tamen nihil propterea cunctatus, brevissimo tempore 22. castellis occupatis ingentem exercitum militum se sponte sequentium coegit, ut Regis omnia præter nomen & ornamentum haberet. Anno Mundi 3934. ante Christum 66. *Aristobulus arces occupat.*

V. Hir-

ANNO MUNDI 3935. ante Christum 65.

Mortua Alexandra Aristobulus Hircano praevalet.

V. Hircanus, & Judaeorum Proceres Reginam adiere, ut aliquo modo rebus providere; id vero, quo opprimebatur, deliquium, omnem belli cogitationem avertebat. Paulo igitur post, annos 73. nata, post 9. administrationis annos obiit, Hircano jus regnandi, Regni vero moderamen Optimatibus Judaeorum relinquens. Aristobulus autem dominationis suae fines latius in dies promovens, eo devenit, ut post tres annos a morte Alexandrae, in planitie Jericho, justo praelio cum Hircano certaverit, ac fratrem pulsum, fugatumque in arcem, in qua uxor & filii Aristobuli custodiebantur, receptum obsederit. Cui resistendo imparem se sentiens Hircanus, pacem ab eo petiit; quam ea conditione obtinuit, nimirum, ut regio titulo, summoque Pontificatu demisso, ad privatam vitam redigeretur. Pacta ambo fratres in Templo juramento rata habuerunt, datoque invicem mutuae pacis amplexu, in diversa recesserunt, Hircanus quidem in domum, quam olim Aristobulus occupaverat, Aristobulus vero in Aulam. In hunc modum rerum potitus Aristobulus tribus mensibus supra tres annos pacifice regnavit, diutius etiam regnaturus, nisi Antipater Hircanum contra Aristobulum incitasset (*a*).

Variae de Herodis origine opiniones.

VI. Porro Antipater, ex quo natus est Herodes Magnus, si Josephum audias, Idumaeus erat, filius alterius Antipatri, sive Antipae, quem Alexander Jannaeus Idumaeae praeposuerat.

(*a*) Joseph. Antiq. l. c. 4. Vide Usser. ad an. 14. c. 1. & de Bello l. 1. 3938.

rat. Eusebius & Julius Africanus filium vindicant Herodis Ascalonitæ, qui in ea urbe æditunm Templi Apollinis agebat; feruntque, captum illum a prædonibus Idumæis, cum adhuc esset parvulus, in eam provinciam asportatum fuisse. Nicolaus Damascenus illum revocat ad Judæos, qui post captivitatem in patriam regressi sunt. Nos priorem sententiam, testimonio Josephi viri domestici suffultam, ceteris præferendam ducimus. Scimus quidem Nicolaum Herodis res omnium melius nosse potuisse, utpote Principi illi coævus, verum assentandi studio ipsum peccasse, nos admonet Josephus. Judaicam religionem ac circumcisionem Antipatrum observasse, ex eo constat, quod Idumæi cogente veteri Hircano, qui totam regionem subegerat, utramque susceperant.

VII. Antipater igitur ingenium & potentiam Aristobuli, in quem etiam secreto odium fovebat, metuens, potentissimorum Judæorum, ipsiusque Hircani animos contra æmulum sollicitabat. Hircano insuper insinuavit ut apud Aretam Arabiæ Regem aufugiens, suspectum, minimeque tutum sibi Hierusalem domicilium commutaret. Tardum inersque Hircani ingenium his stimulis excitatum, tandem ad Aretam confugit. Tunc Antipater apud amicum suum Aretam egit, ut Hircani in Regno restituendi negotium assumeret; spondente vicissim Hircano, se duodecim urbes ab Alexandro Jannæo Patre suo Arabibus ereptas restituturum. Conditionibus utrinque firmatis, *Aretas instigante Antipatro in Aristobulum movet.*

Are-

Aretas illato in Ariſtobulum bello, prælio fractum, atque majori copiarum parte deſtitutum, Hieruſalem primo, deinde in Templo cum Sacerdotibus clauſum obſedit.

Onias occiditur. VIII. Hujus belli tempore, vir quidam Onias, qui quandoque ſiccitatis tempore pluviam precibus impetraverat, in ſolitudine ſe abdidit; inventus tamen a Judæis quibuſdam, adductus eſt in caſtra Aretæ, ut diris Ariſtobulum, & quotquot ejus partes ſequebantur, devoveret. Cum vero diu id recuſans cogeretur a turba, ſtans in medio eorum ſic precatus eſt: Deus univerſi hujus Mundi Rex, quoniam & hi qui mecum ſunt, tuus ſunt populus, & qui oppugnantur, tui ſunt Sacerdotes, precor, ut neque hos contra illos, neque illos contra hos orantes exaudias. His auditis Judæorum quidam, lapidibus ſtatim obrutum interſecerunt. Cujus cædis Deus has pœnas exegit.

Impietas & fraus puniuntur. IX. Dum Ariſtobolus oppugnatur ſupervenit Paſcha, quod Feſtum Judæi multis ſacrificiis honorare ſolebant. Cum victimis carerent obſeſſi, rogarunt ſuos tribules, ut accepta, quantam poſtularent, pecunia, victimarum copiam ſibi facerent. Illis vero pactis mille drachmas in ſingula capita, Ariſtobolus & Sacerdotes pretium per funem e muro demiſſum ſtatim perſolverunt. At illi accepta pecunia, victimas minime reddidere. Sed & hanc fraudem in obſeſſos & impietatem in Deum, Deus punivit, immiſſa procella, quæ totius regionis fructus vaſtaret.

X. In-

X. Interea Pompejus victo Tigrane, Scaurum in Syriam misit; qui cum Damascum venisset, expulissetque ex ea urbe Metellum, & Lollium, qui eam ceperant, auditis, quæ in Judæa agitabantur, illuc veluti ad quæstum cucurrit. Regionem ingresso obviam processerunt Hircani, & Aristobuli Legati, utrique magna pollicentes, 400. scilicet talenta, si partibus alterius contra alterum faveret. Scaurus in Aristobulum inclinavit, quod securiora illius promissa crederet. Accepta igitur ab eo pecunia, datis ad Aretam literis indignationem Romanorum & Pompeji minitatus est, nistatim Hierosolyma recederet. Paruit illico Aretas; eoque recedente, Aristobulus erumpens, Hircanum invasit, virisque 7000. cæsis victor regressus est.

Aristobulus Hircanum superat.

XI. Cum Tigranes jus, quod in Syriæ Regnum habebat, Romanis cessisset, Antiochus Pius, ut volunt nonnulli, vel Antiochus Asiaticus Pii filius, ut malunt alii, paternam hereditatem a Pompejo postulavit. At Romanus negavit, se Antiocho daturum, quod tueri nesciret, ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam redderet (*a*). Atque ita Syria in Provinciam Romanam redacta est; eumque exitum Monarchia post 257. annorum periodum habuit. Cum de Syriæ fato decideret Pompejus, in Asia Minori versabatur. Inde Damascum venit, ubi hortum, sive vineam, e solido auro, ab Aristobulo munus accepit, 500. talentis æstimatam. Montem refere-

ANNO MUNDI 3939. ante Christum 61.

Syria in provinciam populi Romani redacta.

Pompejus ab Aristobulo aurea vinea donatur.

(*a*) Usser. ad an. 3939.

Inter Ægyptios Auletes regnat. ferebat quadratum, in quo cervi, leones, omnisque generis poma, potissimum vero vitis & uva. Quod donarium ab Alexandro Jannæo Templo quondam dicatum, post Pompeji triumphum Jovi Capitolino tandem sacratum fuit (*a*). Interea Alexander II. Ægypti Rex, Alexandri I., scilicet matricidæ, filius, expulsus ab Alexandrinis vacuum Regnum reliquit Ptolomæo notho, Lathuri filio, & Cleopatræ fratri, qui Dionysius, sive Bacchus, & Auletes est appellatus. Dionysiorum enim mollitiem muliebriter ille sectabatur, seseque in arte choraulica, sive tibia canenda, exercebat (*b*).

ANNO MUNDI 3940. ante Christum 60. *Hircanus & Aristobulus de Regno coram Pompejo contendunt.* XII. Pompejus Hircani, & Aristobuli, de jure Regni disceptantium, Legatos audivit. Verum cum res per Legatos confici non posse videretur, Pompejus duos fratres coram se venire jussit. Affuerunt illico, atque Hircanus jure Regni injuste se, utpote natu majorem, expoliatum quæstus est; Aristobulus vero opponebat, jure se administrationem cepisse, a qua frater animi inertia & levitate exciderat. Tertii in ea causa venerunt Judæi, ajentes, se nolle esse sub Regibus, quod juxta patrium institutum Sacerdotibus parere deberent; Hircanum, & Aristobulum esse quidem e Sacerdotum genere, sed velle Principatum gentis in aliam formam traducere, & populum in servitutem redigere. Hircani causam ea occasione

(*a*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 5. Plin. l. 37. c. 2. cian. Strab. apud Usser. ibid.

(*b*) Sveton. Trog. Lu-

sione defendit Antipater. Pompejus singulis auditis Aristobuli violentiam improbavit; interim tamen ambos fratres ad suos quietos remeare jussit, pollicitus se, post ordinatas Nabatæorum res, idem negotium retractaturum. Interim Aristobulus nihil Pompeji sententiam curans, urbes munitionibus, ac præsidio vallandas, etiam contra illius ducis conatus, si opus fuisset, curavit.

Pompejus Hierosolymam petit.

XIII. Confecto Mithridatico bello, Pompejus iter in Judæam direxit, auditisque iterum duabus partibus jus utrisque suum defendentibus, Aristobulum tandem arces sibi tradere jussit. Invitus licet, paruit tamen Aristobulus, statimque, ut ad omnes eventus se se præpararet, Hierosolymam contendit. Pompejus euntem secutus, cum omnem defensionis opportunitatem prævertit, tum metu vires Romanas in suum caput inducendi, eo adegit, ut coram veniens, & urbem dedere, & ingentem pecuniæ vim se soluturum polliceretur. Pompejus his conditionibus deprecanti veniam concedens, Gabinium in urbem ad pecuniam recipiendam misit. Sed frustra hæc; cum milites foribus urbis clausis venientem excipere detrectaverint. Ea injuria offensus Pompejus, Aristobulum in vinculis tenuit, simulque exercitu urbi admoto, primo variis propositis conditionibus defensores tentavit, deinde obsidionem aggressus, ad septentrionem Templi castrametatus est, ubi imbecilliora munimenta videbantur (a).

XIV.

(a) 4. Mach. xxxvi.

Judæorum divisio. XIV. Qui cum Hircano sentiebant, urbem Pompejo dedendam censuerunt, quibus alii, Romanam potentiam metuentes, accedebant. Aristobuli vero factio, excludendum eum jubebat, quod Regem in vinculis teneret. Hi ceteros prævenientes Templum occuparunt, & præciso ponte, qui in urbem ferebat, ad bellum se expedierunt. At illi introducto exercitu urbem & Ædes regias tradidere, quarum custodiam Pompejus Pisoni commisit. Et primum quidem Dux conditiones pacis obtulit, quas cum illi recusassent, statim Romani aggeres imponendis machinis moliri; nec minus impigre Judæi crebras eruptiones, validamque defensionem opponere; ut, nisi Sabbati religio obstitisset, illis oppugnantibus, istis defendentibus, vix alii super alios profecissent. Verum Romani ab invasionibus die Sabbati Judæos abstinuisse, sola defensione contentos, animadvertentes, arrepta occasione, ea die ab aggressionibus se se continentes, perficiendis aggeribus instabant (*a*).

ANNO MUNDI 3941. ante Christum 59. *Capta Hierosolyma Hircanus Regis titulo mulctatur, Aristobulus vero Pompeji triumphū auget.* XV. Ita absolutis operibus, urgendis mœnibus & Templo machinæ, Tyro advectæ, admotæ sunt. Toto ejus obsidionis spatio, illud non sine Pompeji admiratione animadversum est, nunquam matutina, & vespertina sacrificia, veluti si alta pace omnia fruerentur, in Templo intermissa fuisse. Tandem tertio obsidionis mense, per muros jam late disjectos, Cornelius Faustus filius Sillæ omnium primus, &

(*a*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 5. 6. 7. 8. & de Bello l. 1. c. 5.

& omnes demum Romani in Templum evaserunt, magna Sacerdotum, aliorumque, qui forte occurrebant, ſtrage. Plurimi enim Sacerdotes, quamquam hoſtes ſtrictis gladiis irruentes viderent, intrepidi tamen in peragendis rebus divinis perſeverabant; & in ipſo libandi, adolendive miniſterio mactabantur, ſaluti obſequium Religionis præferentes. Omnia autem plena erant cædibus, & Judæorum alii a Romanis confoſſi cadebant; alii a gentilibus ſuis adverſæ partis trucidabantur; plurimi per abrupta ſemetipſos præcipitabant; nonnulli ſubjectis in ædes ignibus concremabantur. Itaque Judæorum duodecim millia occubuerunt. Contigit expugnatio illa die 28. menſis Casleu, tertii anni civilis, partim Decembri reſpondentis; quæ dies jejunio ob volumen Jeremiæ a Rege Joachimo igni traditum, deſtinata erat (*a*). Illud autem maxime notandum eſt, quod eadem ejuſdem menſis die, & ante 545. annos Jeroſolyma capta fuerit a Nabuchodonoſore, quando Babyloniis populus Dei primum ſervire cœpit; & poſt 26. deinde annos iterum a Soſio, quando in Herodis poteſtatem Judæi venerunt (*b*). Ingreſſus in Templum Pompejus omnia luſtratus eſt, quæ intueri omnibus, exceptis Sacerdotibus, nefas. In penetralibus ejuſdem Templi menſam auream, candelabra, vaſa, thuribulum, aromata, præter hæc, theſaurum 2000. talentorum invenit. Ex his nedum aliquid contingere veritus eſt, ſed & expiari locum ſacrum a cadaveribus ju-

(*a*) Jerem. XXXVI. 9. 22. (*b*) Uſſer. ad an. 3941.

bens, mane alterius diei Sacrificium Deo offerendum curavit. Hircano autem, quod urbi obsidendæ, oppugnandæque necessaria ultro suppeditasset, Principatum, & Sacerdotium, Regis titulo, & diademate denegatis, Pompejus restituit, gentemque prius elatam rebus prosperis, intra terminos veteres, ademptis pluribus urbibus, contraxit, ac factis Judæis populo Romano tributariis, reliquit Syriam & Judæam Scauro administrandas. Directo deinde per Ciliciam itinere, Romam petivit, secum adducens Aristobulum una cum duobus filiis Antigono & Alexandro, totidemque filiabus. Et Alexander quidem in itinere, fuga elapsus, in Judæam rediit, Aristobulus vero Pompejani triumphi magna pars fuit; in quo triumpho spectabatur, præter vineam illam auream, quam idem Aristobulus Pompejo donarat, balsami arbor, uni terrarum Judææ concessa (*a*). Paulo post, cum Pompejus & M. Crassus inter se inimicitias exercerent, C. Julius Cæsar qui Romam venerat, Consolatum petiturus, non solum utrumque adinvicem reconciliavit, sed etiam cum utroque fœdus iniit, ne quid ageretur in Republica, quod ulli e tribus displicuisset; quæ conspiratio Urbi Orbique, ac sibi ipsis tandem exitialis fuit.

ANNO MUNDI 3947. ante Christum 53. *Alexander Judæam turbat*,

XVI. Judæa sex, vel septem annorum spatio, post captum Aristobulum, pace fruita est, Hircano Antipatri omnia permittente, qui beneficiorum copia ita Athenienses erga Principem illum devinxit, ut & corona aurea, & statua

(*a*) Usser. ad an. 3943.

ſtatua ænea in Templo Demi, ſive Gratiarum, ipſum ornandum decreverint (*a*). Secundum hæc, Alexander Ariſtobuli filius Judæam incurſionibus vexare cœpit; cui cum reſiſtere impar eſſet Hircanus, de muris Hieroſolymorum reficiendis cœpit cogitare, quos Pompejus dejecerat; a quo tamen conatu Romani eum prohibuere. At Alexander coacto 10000. peditum, & 1500. equitum exercitu, Hircanii, Alexandrii, & Macheruntis arces occupavit, ubi & ſe munire curavit. Antipater autem provinciales Romanorum Legiones ſtatim oppoſuit. Quare Gabinius, qui Scauro in Syriæ adminiſtratione ſucceſſerat, Alexandrum e montibus ejectum, prope Jeroſolymam, 3000. hominum cæſis, bello fudit. Tum Alexandrium caſtellum, in quo Alexandra Ariſtobuli uxor, & Alexandri mater erat, obſedit. Egreſſa vero Alexandra Gabinium inter & filium fœdus ſtatuit, ea lege, ut Alexander occupatas arces reſtitueret, quas Gabinius ſolo æquavit, hortante eadem Alexandri matre, verita, ne iis integris nova filio perduellionis anſa præberetur. Tandem Gabinius reædificata Samaria, aliiſque non paucis urbibus, atque Hircano Hieroſolymam reducto, eique Templi & Sacerdotii cura reſtituta, ceteris Reipublicæ partibus Optimates præfecit, juridicoſque conventus Jeroſolymis, Gadaræ, ſive Doræ, Amathunte, Sephori, & Hierichunte conſtituit; ut in omnibus regionibus certis judicibus decretis, populi a propriis ſedibus ni-

Hircano Athenienſes ſibi deferente.

L 2 mium

(*a*) Uſſer. ibid.

mium divertere non cogerentur. Ex quo monarchicum Judæorum imperium in aristocraticum declinavit (a). Hinc nonnullis Synedrii institutionem deducere placuit.

Aristobulus iterum captus, Romam iterum remittitur.

XVII. Octavo suæ carceris anno Aristobulus Roma fuga dilapsus una cum Antigono altero filio suo, in Judæam veniens, Arcem Alexandriam restituere tentavit; sed Gabinius misso exercitu, primo ex arce dejecit, postea vero coacta 8000. militum manu, justo prælio certantem 5000. cæde multavit, ac tandem cum 1000. hominibus per exercitum Romanum ad arcem Macheruntem dilapsum obsedit, captumque Romam iterum cum filiis suis transmisit, simulque epistolam ad Senatum dedit, significans, se fidem suam Alexandræ Aristobuli uxori obstrinxisse, quantocyus Alexandrum & Antigonum illius filios in Judæam remittendos. Ea lecta Senatus fidem inviolatam servandam censuit, statimque, retento Aristobulo, Alexander, & Antigonus in Judæam restituti sunt.

Gabinius Ptolomæo Regnum restituit, & Alexandrum vincit.

XVIII. Succedente tempore, Gabinius expeditionem in Parthos initurus, cum eorum ditionem trajecto Euphrate attigisset, pecuniis Ptolomæi Auletis Regis Ægypti inductus, arma in Ægyptum vertit, ut Alexandrinos coerceret, qui conjuraverant, salutata Regina illius filia Berenice. Dum Ptolomæo Gabinius Regnum restituit, Alexander Aristobuli filius, coacto 30000. hominum exercitu res novas moliri cœpit. Sed mox Gabinius accurrens, commisso

(a) Joseph. Antiq. l. 24. c. 10. & de Bello l. 1. c. 6.

misso ad montem Thabor prælio, illum vicit, atque dispersit.

XIX. Gabinio e provincia excedenti Crassus sufficitur, qui cum in Syria nihil haberet, quod ageret, quiete ubique regnante, in Parthos, avaritiæ stimulis agitatus, bellum decrevit. Audita vero Hierosolymitani Templi opulentia, quam Pompejus intactam reliquerat, eo divertit, in quo 8000. auri, & 2000. argenti talenta deprehendit. Quas tantas divitias cum vix fidem apud exteros inventuras Josephus prospiceret, eas a Judæis in Europa, Asia, Ægypto, & Cyrenaica degentibus longo tempore congestas, pluribus comprobare nititur (*a*). Ea pecuniæ summa necdum expletus Crassus, vasis sacris, & velis pretiosis manus injicere parabat, cum Eleazarus illorum custos promisit, si a ceteris abstinere sacramento polliceretur, se auri solidi trabem magno pondere indicaturum. Crasso fidem suam obliganti Sacerdos ille trabem quamdam ligneam, cui vela pretiosa Templi appendebantur, ostendit, in cujus cavitate aurea trabs abscondebatur, pondo 300. minarum: singulæ aureæ minæ duas libras cum dimidio æquabant. Crassus tamen neque his contentus, pretiosa quæque inde egessit. Hujus tamen sacrilegii pœnas luere coactus est; quippe Parthorum regionem vix ingressus, cum parte exercitus maxima cæsus est.

Anno Mundi 3950. ante Christum 50.

Crassus Templum expilat.

XX. Cassius exercitus Romani reliquias cum collegisset, Tyrum venit, compositisque ejus partis

Anno Mundi 3952. ante Christum 48.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 12.

Cassius Alexandrum reprimit, & Parthos expellit. Auletes obit. Cleopatra Regno removetur.

partis Syriæ rebus, movit in Judæam petens Tharichæam ad lacum Genesareth, quo se se contulerat Pitholaus cum reliquis Aristobuli partes secutis. Capta urbe 30000. Judæorum in servitutem abduxit. Pitholaum quoque interfecit hortante Antipatro, qui plurimum apud ipsum poterat, & virorum omnium principum amicitiam hospitiis, familiaritateque conquirebat. Alexandro denique Aristobuli filio per conditiones ad quietem compulso, Cassius ad Euphratem movit, Parthos transitu prohibiturus; cumque illi nihilominus amnem superassent, atque Syriam ad Antiochiam usque occupassent, eos Romanus Dux feliciter expulit (*a*). Quo fere tempore Ptolomæus Auletes Rex Ægypti obiens, supremis tabulis præcepit, ut Ptolomæus filius suus natu major cum grandiore pariter sorore Cleopatra, more majorum matrimonio jungeretur, simulque Regnum administrarent, sed ita tamen, ut sub tutela populi Romani essent (*b*). Porro novus Ptolomæus cum puer esset, omnia per Photinum nutritium suum disponebat, cujus opera Cleopatram sororem suam simul & conjugem post tres annos Regno expulit, quæ in Syriam secessit exercitum paratura.

ANNO MUNDI 3995. ante Christum 45.

Aristobulus & Alexander necantur.

XXI. Cum bellum inter Cæsarem & Pompejum exardesceret, Aristobulus a Cæsare libertate donatus est, qui illum, ut Pompejo obsisteret, in Judæam cum duobus legionibus re-

(*a*) Joseph de Bello l. 1. c. 6. & Antiq. l. 14. c. 12. Dio l. 40. Cicer. ad Attic. l. 5. ep. 20. & 21.

(*b*) Usser. ad an. 3953.

remittere destinaverat. Verum iter parantem amici Pompeji veneno sustulerunt, ejusque funus a Cæsarianis curatum est; ac tandem corpus melle conditum, usque ad Marcum Antonium Romæ asservatum, cujus jussu in Judæam sepulcris Regum inferendum delatum est. Nec feliciorem exitum sortitus est illius filius Alexander. Legebat is copias in Syria, quas patri suo, cujus opperiebatur adventum, jungeret; sed Pompejus certior ea de re factus, socero Scipioni, in Syriam contra Cæsarem misso, necem ejus injunxit. Accito igitur Antiochiam Alexandro, habitaque accusatione super his, quæ in Romanos admiserat, caput securi amputatum est. Ptolomæus vero Mennæus Dynasta Chalcidis, quæ sita est in monte Libano, misso Philippione filio Ascalonem ad viduam Aristobuli, filium illius Antigonum, & duas filias ad se accersivit; quarum minoris Alexandræ captus amore Philippio, uxorem duxit, quam paulo post ipse Mennæus occiso Philippione sibi copulavit.

ANNO MUNDI 3956. ante Christum 44.

XXII. Contulerat se interea in Hispanias Cæsar, ubi exercitum Pompeji, quem tres ejus duces regebant, dissipavit. Redux Romam venit in Macedoniam, partaque de Pompejo Pharsalica victoria, fugienti hosti Alexandriam usque gravis institit. Non longe a Pelusiaco Nili ostio Ptolomæus exercitum contra Cleopatram dispositum habebat, quem per nuntios Pompejus rogavit, ut pro hospitio atque amicitia patris, & beneficiis in illum collatis, ipsius opibus tegeretur. Ipse Rex nihil respondit,

Pompejus interficitur. Antipater Cæsarem tuetur. Utriusque Ptolomæi interitus.

dit; sed, cum alii recipiendum, alii arscendum Pompejum censerent, Theodotus Regis præceptor malle se dixit, ut receptum interficerent. Invitatus igitur Pompejus, ut in terram descenderet, dum surgit e navicula, Septimius, qui apud ipsum Pompejum quondam militaverat, primus a tergo eum trajecit, indeque alii tantum virum, ambabus manibus toga faciem tegentem, ensibus interfecerunt. Cæsar nuntio de ejus nece accepto, captus amore Cleopatræ, Ptolomæum illius fratrem, ut Regnum cum illa simul administraret, juxta ac ipsorum pater disposuerat, cohortatus est. Magno ea de causa suborto tumultu contigit ut Cæsar ab Achilla Regis Duce obsideretur. Quare expediendo se se ab illis angustiis, Mitridatem in Syriam ad auxilia comparanda misit. Antipater Hircani administer Principi illi, & aliis nonnullis e proxima Arabia auctor fuit ut Cæsari faverent; nec ipse segnis in Ægyptum venit cum 3000., quos copiis Mitridatis adjunxit. Ambo illi Duces Pelusium tentarunt, expugnaruntque; cujus rei decus omne regestum est in Antipatrum, qui primus per eversa mœnia in urbem successit. Tum iter suum prosecuti Alexandriam venerunt, ubi Antipater, qua fama nominis sui, qua patentibus Hircani literis, adeo valuit apud Judæos Regionis Onion, ut darent viam transeuntibus, & ipsos se adderent Cæsarianis; quorum exemplum secuti sunt Judæi Mempheos. Ptolomæus in Mithridatem & Antipatrum, evulsum e reliquo exercitu agmen misit, ut transitu Nili prohiberet; sed Regis co-

copiæ commisso prælio cesserunt. Accurrit post hæc Ptolomæus ipse cum robore exercitus; insecutus est illum Cæsar, consertisque inter duas acies manibus, plena adeo victoria cessit Romanis, ut totam pariter Ægyptum illis vindicaret. Corpus Regis obrutum Nili limo, loricæ aureæ indicio cognitum fuit. Cæsar Ægypto potitus Romanorum dominio non subjecit, sed Cleopatræ concessit. Metuens tamen, ne Ægyptii mulieris imperio traditi tumultuarentur, neve Romanorum in se animos, cum hujus rei, tum suæ cum Cleopatra consuetudinis causa commoveret, conjugem eam dedit alteri fratri ipsius, Ptolomæorum postremo, undecim annorum puero, Regnumque utrisque fecit commune. Cleopatra tamen quatuor post annos, eo veneno sublato, sola regnavit.

XXIII. Opportunum adeo & ingens beneficium ab Antipatro Cæsaris menti nequaquam excidit. Antequam igitur Alexandria moveret, rata haberi voluit, & firma jura omnia Hebræorum in Ægypto, quæ in erecta ad id columna sculpi mandavit. Iter autem habenti per Syriam obviam factus est Antigonus Aristobuli filius, qui accedens ad Cæsaris pedes, necem patris & fratris Alexandri ingemuit potius quam exposuit, significans, alterum veneno sublatum, alterum securi percussum, non alterius criminis reos, quam quod ejus partibus favissent; rogabatque ut in Regnum Patris ipse filius restitueretur; congerens simul querelas in Antipatrum & Hircanum, penes quos *Cæsaris in Hircanum, & Antipatrum beneficia.*

sum-

summa in Judæa erat potestas. Sed Antipater in Cæsaris adhuc comitatu versans, causam suam & Hircani egregie adeo defendit, ut Cæsar occlusis ad accusationes Antigoni auribus, Antipatro quamcumque mallet, Dynastiam obtulit, & Judeæ Procuratorem constituit. Mandavit deinde ut Hircanus retineret sibi sacram simul & politicam Judæorum dignitatem, receptamque in posteros transfunderet. Statuit præterea ipsum in sociorum, & amicorum suorum numerum recipi; & si quæ controversia exorta fuerit de Judaica disciplina, judicium penes eum esse. Ad hæc, nec hyberna militi debere, nec pecunias ab eo exigi. Decretum ea de re suum græce & latine scriptum insculpi jussit in tabulis æneis, transmittendis Romam in Capitolio; cujus alia exemplaria in Templis Tyri, Sidonis, & Ascalonis appenderentur. Aliquot post annos, in quinto scilicet, & postremo ipsius consulatu, Cæsar rogante Hircano cœptam amicitiam & societatem confirmavit, animumque Principis impellentibus, quæ ab ipso retulerat, commodis, permisit, ut dejecta a Pompejo Hierosolymorum mœnia restituerentur. Decretum ea de re Romæ datum est; quo vix delato Hierolymam, statim Antipater Urbi muniendæ manum admovit (*a*).

Phasael, & Herodes Magistratu augentur.

XXIV. Antipater, ubi Cæsarem de Syria decedentem prosecutus est, in Judæam reversus, obeundo provinciam novarum rerum cupidos

(*a*) Joseph Antiq. l. 14. c. 16. & 17. ad an. 3959. Usser.

pidos compescuit, simulque nactus ex stupido, inertique Hircano occasionem promovendi familiam suam, Phasaelem quidem, e liberis suis natu maximum, Hierosolymis, & circumjacenti Regioni Ducem constitit, Herodi vero, 15. vel 25. annos tunc agenti (a), Galilæam curandam commisit; quo tempore Aristocratia a Gabinio constituta cessavit. Susceptam provinciam summa virtute, & prudentia Herodes administravit, cumque Ezechiam Judæum prædonum ducem cepisset, eumque una cum sociis necasset, magnam apud Syros, & per eos apud Sextum Cæsarem, a Julio Cæsare provinciæ Præsidem relictum, sibi conciliavit gratiam. Phasaelus quoque ad æmulationem fraternæ gloriæ excitatus, plurimis exhibitis prudentiæ, & virtutis documentis collatæ sibi dignitati parem se se ostendit. Quo factum est, ut Antipater illorum pater, haud secus ac si esset Rex, a tota gente coleretur; nec propterea tamen minori fide, & affectu Hircanum prosequebatur.

Sameas Herodi obsistit.

XXV. Optimates Judæorum Antipatri, & filiorum gloriam lividis oculis intuebantur, quos etiam terrebat violentum Herodis ingenium, & ad tyrannidem proclive. Adeuntes igitur Hircanum, accusabant Antipatrum, quasi pecunia, quam de Principis ærario ad Romanos subinde mittebat, sibi usurparet gratiam, tamquam de proprio mitteret. Quæ Hircanus audiens adeo nihil curabat, ut gaudere etiam facto videretur. Addebant de Herode,

(b) Usser. ad an. 3957.

rode, quod Ezechiam, sociosque nulla ad id potestate præditus occidisset, rogantes, ut coram Synedrio facti sui rationem reddere cogeretur. Annuente Hircano, Herodes purpuratus cum armatis stipatoribus coram Judicibus adstitit, quo viso, nullus ausus est hiscere. Tunc unus e consessu Sameas assurgens, non solum Herodem audaciæ & violentiæ accusavit, sed ejus culpam in Judices, & Hircanum, qui hanc ei licentiam permitterent, regessit, futurum prædicens, ut illum, in quem sententiam dicere modo verebantur, Regem tandem & Judicem in se sententiam proferentem experirentur. Quod eventus comprobavit. Hunc Semeam Concilii Synedrini Præsidem, & Scholarum Moderatorem egisse, narrant Judæi, pluresque discipulos eximie doctos instituisse; inter quos celeberrimum Hillelem, qui tandem a Præceptoris sui sententiis desciscens, novam dissitamque Scholam, pleniori Judæorum favore probatam, constituit. De Hillele nihil Josephus, qui Sameam Pollionis Pharisæi auditorem facit; quem quidem Pollionem eumdem ac Hillelem habendum esse, suspicatur Calmetus (a).

Hillel inter Judæos celeberrimus.

XXVI. Mira de Hillele feruntur. Hujus viri adeo angusta fuit res familiaris, ut vitam labore manuum tolerare cogeretur; lucri autem parte victui necessaria comparabat, partem Academiæ Janitori impendebat. Cum semel omni lucro destitutus, nunquam ab ostiario impetrare potuisset, ut admitteretur, e fe-

(a) Joseph. Antiq. l. 14. c. 1. & l. 15. c. 13.

fenestra domus Præceptorem audiebat; quo in loco tota nocte perseverans, mane nive obrigens inventus est. Sameas re audita, amorem in literas admiratus, Sabbati religionem violandam censuit, ut rigens foveretur. Hunc nedum Principem Synedrii, sed & Traditionum assertorem appellant Judæi. S. Hieronymus docet, Hebræos Misnam, & Deuteroses duobus viris Sameæ & Hilleli accepta referre: Illis Achiba, Achibæ Meir successit. Patriarcha suæ gentis Hillel renuntiatus fuit, quæ deinde dignitas ejus posteris ad quintum usque Ecclesiæ sæculum mansit. Ejus filius Simeon a nonnullis cum Simeone, qui puerum Jesum excepit, confunditur. Alter est Hillel, qui floruit circa annum Christi 240. Sed ad Herodem redeundum est.

Herodes Judicum sententiam declinat.

XXVII. Cum omnia jam ad Herodem damnandum inclinare viderentur, Hircanus, qui illi favebat, differri ad sequentem diem sententiam jussit; quare noctis favore & Hircani consilio usus, Hierosolymis excedens, Damascum apud Sextum Cæsarem se se recepit; a quo & Cele-Syriæ præfectura auctus est. In nova administratione ultionem injuriæ moliens, exercitum Hierosolymam duxit; quem tamen Antipatri patris & Phasaeli fratris precibus, re infecta, reduxit.

ANNO MUNDI 3958. ante Christum 42.

Post Anni Romani reformationem Cæsar interficitur.

XXVIII. Cæsar Romani anni emendationem instituit; cumque jam mense Februario dies 21. fuissent intercalati, ipse præterea inter Novembrem & Decembrem duos alios menses intercalares dierum 67. interposuit, ita ut præ-

Antipater Rempublicam tuetur.

præsens annus menses 15. dies vero 445. habuerit. Hinc dictus est Annus Confusionis. Jussit autem, ut a Kalendis Januarii anni sequentis, qui est P. J. 4669. primus ordinationis suæ annus numeraretur. Post hæc, anno scilicet Mundi 3960. curabat Cæsar, ut quamprimum Roma exiret, in qua laborabat invidia, expeditionemque in Parthos, Crassi mortem ulturus, meditabatur, cum in curia tribus & viginti vulneribus confossus est a Marco Bruto, C. Trebonio, C. Cassio, & ex Cæsaris partibus Decimo Bruto, aliisque, libertatem Reipublicæ restituere volentibus. Redegit se in Syriam Cassius, fultusque octo legionibus Palæstinam & Judæam subegit. Quatuor legiones a Cleopatra Ægypti Regina missas in auxilium Dolabellæ oppositas Cassio partes tuentis, intercepit, eisque suum exercitum auxit. Tot detinendis copiis coactus fuit ingentibus tributis onerare Provinciam. Judæa 700. talentis obnoxia fuit. Illis prompte exigendis sollicitam contulit operam Antipater, commissa rei cura Phasaelo, & Herodi filiis suis, tum & Malicho, aliisque. Cum Herodes omnium primus collectam in assignata sibi regione pecuniam in ærarium Cassii intulisset, viri sibi favorem demeruit. Quin Cassius & Marcus, qui interfecti Sexti Cæsaris Syriæ Præsidis locum tenebant, Herodem totius Cele-Syriæ Ducem constituerunt, addito exercitu, & spe Regni Judææ possidendæ, post confectum, quod tunc contra Antonium, & juniorem Cæsarem, Augustum deinde ap-

pellatum, pro Reipuplicæ libertate gerebant bellum. Urbes Gopna, Emmaus, Lidda, Thamna, aliæque nonnullæ plus nimio solvendum tributum distulerant; quare cives hastæ subegit Cassius, quo debita ab illis pecunia conficeretur, impositusque urgendis illis tributis Malichus, parum absuit quin negligentiæ suæ pœnas capite lueret. E discrimine Malichum liberavit Hircanus, missis e suo ærario ad Cassium 100. talentis (*a*).

Malichus Antipatri occisor occiditur.

XXIX. Malichus interim invidiæ stimulis in Antipatri familiam agitatus, pincerna Hircani pecuniis corrupto, hujus mensæ accumbenti Antipatro venenum ministrari curavit: Antipatro extincto Malichus Præfecturam urbis statim invasit, omnemque a se suspicionem propinati veneni removere conanti, Herodes & Phasaelus credere simularunt. Verum non diu post apud Tyrum, in ultionem paternæ cædis, occidendum curarunt (*b*).

Anno Mundi 3963. ante Christum 37.

Antigonus ab Herode depulsus.

XXX. Antigonus Aristobuli filius & Hircani nepos a socero suo Ptolomæo Mennæi filio, Chalcidis Dynasta, & a Fabio Damasci Duce, Marioneque Tyriorum tyranno copiis adjutus, Judæam invasit. Cui vix extremos regionis fines ingresso Herodes occurrit, eoque depulso, ab Hircano Hierosolymis honorifice exceptus est. Tum enim Herodes in familiam Hircani adscitus erat, promissa illi in uxorem Marianna filia Alexandri, filii Regis Ari-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 18. & 19.

(*b*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 20.

Ariſtobuli, & Alexandræ filiæ Hircani, femina omnium ſui temporis elegantiſſima (a).

Antonius Herodi favet.

XXXI. Cum M. Antonius poſt fractos in campis Philippicis Brutum & Caſſium, in Bithyniam veniſſet, Judæos nonnullos, qui ad illum ſe contulerant, Herodem & Phaſaelem accuſaturos, pecunia ab Herode præventus, ne audivit quidem. Epheſum progreſſus Antonius, Judæos captivos a Caſſio abductos, liberos pronuntiat, & agrum Judæis per injuriam ablatum reſtitui jubet. Dum Daphnis denique prope Antiochiam idem moraretur, centum ex Judæorum optimatibus ipſum adeuntes, Herodem, & Phaſaelem accuſarunt, veluti, qui tota ſibi arrogata Principis auctoritate, nudum nomen Hircano reliquiſſent. Aderat tunc temporis apud Antonium Hircanus. Hic ab Antonio requiſitus, utri adminiſtrandæ reipublicæ utiliores eſſent, Herodes ne & Phaſael, an delatores illorum? Fratrum adminiſtrationem laudibus extulit Hircanus: quare Antonius Tetrarchia illos, & totius Judææ præfectura donavit. Quindecim etiam ex delatoribus in carcerem detruſit, vita multaturus, niſi Herodes ipſe interceſſiſſet. Mille deinde viri Hieroſolyma miſſi Tyrum ad Antonium eadem de cauſa venere; qui nequicquam ab Herode & Hircano moniti, ut ab inceptis ceſſarent, partim trucidati ſunt, partim ſauciati, reliquis vero domum refugientibus, cum populus clamoribus ageret con-

(a) Joſeph. Antiq. l. 14. c. 21.

contra Herodem, Antonius iratus, quos vinxerat, interfici justit (*a*).

XXXII. Antigonus quietis impatiens 1000. talentorum, & 500. feminarum spe Parthos ad suscipiendam expeditionem contra Hircanum invitavit. Pacorus igitur, Regis Parthorum filius, jura Antigoni allerturus, duos destinavit Duces, alterum Barzapharnem in Galilæam, alterum sibi cognominem Pacorum in Judæam. Porro Antigonus una cum Parthis aliisque collectitiis copiis Judææ se se superinfundens obvios fugavit, atque Hierosolymam usque insecutus, occupavit urbem, cui tandem cessit & Templum. Interim Herodes, & Phasael, qui Hircani partes defendebant, in regiis Ædibus se munierunt, hostem inde vexantes. Instante autem Festo Pentecostes, utriusque partis assertores, ne quid incommodi aut turbarum causaret externorum hominum undique ad Festum confluentium concursus, componendis inter se rebus dederunt operam. Antigonus proposuit Herodi & Phasaeli, ut res tota committeretur Pacoro duci in suburbiis commoranti; nec illi renuerunt. Statim Pacorus urbem cum suis intravit, persuasitque Hircano & Phasaeli, ut sisterent se coram Barzapharne, facta spe obtinendi quæ maxime conduxissent ad optimum Provinciæ statum. Abnuente Herode, qui Babarorum fidei minime credebat, in Galilæam ad Barzapharnem Hircanus & Phasaelus convolarunt, comitante Pacoro, qui dein repetiit Hierosolymam.

Anno Mundi 3964. ante Christum 36.

Antigonus Parthorum favore Regno potitur.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 14. c. 22. 23.

mam. Cum Barzapharnes perveniſſe jam ad urbem Pacorum cenſuit, apprehendit Hircanum & Phaſaelem, vinxitque catenis. Tantumdem præſtare & Herodi juſſus erat Pacorus. Sed ille conſilium hoſtis ſubodoratus, aſſumpto præſidio, & impoſitis in jumenta mulieribus, matre Cypro, ſorore Salome, ſponſa Mariamne, matreque ſponſæ Alexandra, & Pherora fratre natu minimo, Maſſadam aufugit. Tunc Hieroſolyma a Parthis direpta eſt, & Antigonus Hircanum, & Phaſaelem vinctos accipiens, indoluit, quod cum Herode mulieres effugiſſent, quas Parthis tradere conſtituerat. Veritus deinde ne populi favore Hircanus aliquando in Principatu reſtitueretur, aures illi amputavit, præcluſa ei hac ratione via iterum redeundi ad Pontificatum, cum membris debilitati Moſaica lege ea dignitate ſint interdicti. Phaſaelus neci ſe deſtinatum ſentiens, cum manus ſibi inferre non poſſet propter vincula, alliſo ad ſaxum capite vitam abrupit. Occupato ab Antigono Regno & Principatu, Parthi diſceſſere, ſecum Hircanum ducentes.

Herodes Romam petit.

XXXIII. Herodes, ſuis Maſſadæ relictis, præfectoque illi arci fratre ſuo Joſepho, iter Petram verſus ſuſcepit, præſidium & auxilium a Malcho Arabum Rege impetraturus. Quo tamen antequam perveniret, a Rege, qui Parthos timebat, prohibitus, alio divertere coactus eſt. Rhinocoruram igitur declinavit, ubi nuntium de morte Phaſaelis audivit. Ex ea urbe Peluſium venit, indeque a Magiſtratibus

loci

loci Alexandriam ad Cleopatram Reginam deductus est; quæ tamen illum ibi detinere non potuit, Romam properantem. Conscendit igitur navim, sæviente jam hyeme, sive, ut alii volunt, furente tempestate (*a*). In eo itinere procella jactatus, divitiarum suarum partem projecit, ac Rhodum tandem, ægre licet, appulit. Ibi duorum amicorum ope adjutus, quamquam suis necessitatibus vix sufficeret, continere se non potuit, quin urbi, bello Cassii afflictæ, succurreret. Inde Romam venit, statimque M. Antonium conveniens, eventuum omnium seriem narravit.

XXXIV. Romana Respublica a Triumviris Octaviano, Antonio, & Lepido jam inde ab anno Mundi 3962. regebatur. Porro Antonius propenso jam erat in Herodem animo paterni hospitii memor, sed immensarum pecuniarum spe, quas ille promittebat, si in Regem Judæorum eveheretur, magis illectus, ipsius partes cœpit tueri. Octavianus quoque, partim propter Antipatri militiam in Ægypto cum Cæsare patre suo toleratam, partim ut Antonio gratificaretur, ad conatus Herodis promovendos erat paratus. Junctis igitur studiis ita apud Senatum egerunt, ut Herodes Judææ Rex, Antigonus vero populi Romani hostis declararetur. Hoc vero contigit anno Mundi 3964. Augusti vero a Cæsaris nece quinto, in Autumno, seu mense Octobri: quod quidem Regnum tenuit Herodes annis septem supra triginta. Cardinalis Baronius ho-

ANNO MUNDI 3964. ante Christum 36.

Herodes Rex declaratur.

M 2 rum

(*a*) Usser. ad an. 3964. Salian. ad an. 4014. n. 26.

rum annorum periodum exorditur ab anno decimo quarto Augusti, quo Imperator ille ad Actium, expugnato Antonio, Judæorum Regnum Herodi asseruit. Verum illi repugnat non solum Josephus, & Philo, sed & Nicolaus Damascenus, ipsi Herodi coævus, familiaris, & superstes (*a*).

Varia inter Antigonum & Herodem prælia.

XXXV. Post hebdomadam Herodes Roma discedens Ptolemaidem venit, ac ope Silonis Romanorum Ducis Antigono ab obsidione Massadæ fugato, suisque a præsentissimo periculo liberatis, Hierusalem obsedit. Eventus tamen spem fefellit. Silo enim ab Antigono corruptus, specie deducendi militem in hyberna, obsidionem solvit, atque in quasdam ab Antigono permissas urbes una cum exercitu concessit. Nec tamen adeo quievit Herodes, quin simul eo temporis spatio loca, atque urbes plurimas Judææ & Galilææ occuparet. Alter annus pluribus præliis inter Herodem & Antigonum, omnibus tamen Herodi secundis, exactus est. Quo tempore ad Antonium, Samosatam ad Euphratem oppugnantem, ducens auxiliatrices copias, perrexit. Eo absente Josephus Herodis frater inito prælio cum Antigono ad Jerichuntem dimicans occubuit, quem mortuum hostis verberavit, & capite plexit. Herodi in Judæam redeunti Josephum ab hoste injurias hasce accepisse nuntiatum est; quare ira incensus, auctoque exercitu Sosii Syriæ Præsidis copiis, Antigonum adeo fregit, ut

(*a*) Graves. de Myster. & annis Chr. diss. 6.

ut nisi hyemis asperitas obstitisset, Hierosolymam petiisset, & finem bello imposuisset.

XXXVI. Tertio deinde anno ineunte, postquam Herodes Romæ declaratus fuerat Rex, urbis obsidio cœpta est, quam ab eo latere urgendam censuit, quo ante plures annos Pompejus. Dum vero in ea obsidione exercitus detineretur, Herodes Samariam proficiscens, nuptias Mariamnes, quæ ei jam desponsata fuerat, celebravit. Dein ad castra regressus, post quinque obsidionis menses primæ urbis munitiones expugnavit. Paulo post secunda etiam mœnia Herodi cesserunt; quare Antigonus in Templum, & superiorem urbis partem se recipiens, victoris arma, non diu tamen, remoratus est. Sed eo etiam irrumpens Herodes plenam victoriam retulit die 28. mensis Casleu, ipsis videlicet Kalendis Januarii, uti quidem Usserio videtur, vel sub finem mensis Junii, ut putat Bucherius. Rebus desperatis Antigonus e turri, in quam se receperat, descendens, ad genua Sosii provolutus est, qui ipsius imbecillitati insultans, *Antigonam* per contemptum nuncupavit, ac vinctum catenis arctissimæ custodiæ tradidit.

ANNO MUNDI 3967. ante Christum 37.

Herodes Hierosolymam expugnat.

XXXVII. Expugnata urbe cædibus repleta sunt omnia; cum vero multitudo conductitiorum alienigenarum ad visendum Templum ejusque intima rueret, Herodes alios precibus, alios minis, nonnullos etiam armis reprimebat, molestiorem clade victoriam existimans, si quid eorum, quæ videri fas non esset, veniret in conspectum profanæ multitudinis.

Cædibus & rapinis Herodes modum imponit.

Prohibebat etiam rapinas per urbem fieri, identidem Sosium rogitans, solitudinis ne Regem Romani facturi essent, exhausta urbe rapinis simul & cædibus? Illo vero referente, pro expugnatione urbis direptionem merito militi permitti, promisit Herodes se de suo mercedem numeraturum singulis. Atque ita redempta Civitate ab ulteriore vexatione, promissa persolvit. Herodes discreta urbis multitudine, suarum partium studiosos promerebat, adversæ autem factionis homines quotidianis suppliciis absumebat; inter quos & omnes magni Synedrii Judices, qui eum olim capitis arcesserant, interemit, Pollione, & Samea exceptis.

Antigonus securi percutitur. XXXVIII. Ductus autem fuit Antigonus Antiochiam ad Antonium. Optabat hic ad majorem triumphi ornatum Antigonum Romam ducere; at veritus Herodes, ne Senatus favore Regno restitueretur, magna erogata pecuniæ summa, obtinuit ab Antonio ut misero Principi, virgis cæso, & palo alligato, novo plane in Regem exemplo, caput obtruncaretur (*a*), postquam imperasset annos duos, & septem circiter menses. Cum eo autem Machabæorum sive Assamonæorum Principatus cessavit, cui 126. anni post Judæ Ducatum tribuuntur (*b*).

Sum-

(*a*) Dio. l. 46. Strab. apud Joseph. l. 15. c. 1.

(*b*) Usser. ad an. 3967.

Summus Judæorum Pontificatus ad arbitrium conceditur. Herodis familia turbatur. Varia Herodis apud Cleopatram, Antonium, Julium Cæsarem, & Octavium Augustum fortuna. Ægyptus in provinciam Romanam redacta. Aristobuli, Hircani, Mariamnes & Alexandræ interitus. Costobari repudium. Ethnicos Herodes imitatur. Ipsius liberalitas & in fabricas studium. Templi Hierosolymitani descriptio.

CAP. III.

I. Rerum potitus Herodes metuens ne Hircanus data occasione de recuperando Regno aliquando cogitaret, missis ad eum literis invitavit, ut rediret, commune cum genero fruiturus potestate. Etsi vero Phraates Parthorum Rex Hyrcanum comiter haberet, Judæique Babylone agentes ipsum ceu Pontificem & Regem suspicerent, revisendæ tamen patriæ studio miser senex tenebatur, gratiam ab Herode expectans, quem aliquando de capite periclitantem servasset. Impetrata facultate in Judæam rediit, reducemque Herodes honore prosequebatur, patrem, altorem, servatorem appellitando, primumque in conventibus illi locum tribuendo. Cum autem auribus mutilatus summo Sacerdotio præstando impar esset, Herodes Ananelum quemdam e Babylonia accitum, qui licet genus traheret e familia sacerdotali, non tamen ex eo erat familia-

ANNO MUNDI 3968. ante Christum 32.

Hircano ex Babylonia regresso Ananelus Pontifex renunciatur.

rum genere, quæ summi Sacerdotii dignitate frui solerent, Sacris præficiendum curavit, excluso Aristobulo, fratre Mariamnis, unico, qui ex Assamonæorum genere superesset.

Pontificatus Aristobulo conceditur.

II. Porro his adeo mota est Alexandra Aristobuli mater, ut ad Cleopatram Antonii uxorem, seu potius dominam, scripserit, eam deprecans, ut ab Antonio Pontificatum Aristobulo filio suo, Mariamnis fratri, & Hircani nepoti peteret. Antonius cum jam de summa Mariamnis, & Aristobuli venustate audisset, ad Herodem scripsit, ut Aristobulum sibi mitteret. Herodes, qui Antonii libidinem norat, morem nequaquam gessit, Pontificatum tamen Aristobulo Mariamnis precibus tandem largitus est (*a*).

Alexandra & Aristobulus fugam tentant.

III. Interim Herodes de Alexandra valde conquerens, quod Antonium his rebus immiscuerit, illam intra Regiam se continere, nec ullis negotiis implicari jussit. Alexandra hæc Cleopatræ significavit per literas, cui Regina, ut quantocyus in Ægyptum una cum Aristobulo seccederet, respondit. Paratis igitur duabus sandapilis, quasi mortuis efferendis, in eas se & filium inclusit, jussis famulis ut eas noctu efferrent, & ad paratum navigium, quod eos in Ægyptum deveheret, deportarent. Herodes vero his cognitis, negotium tentari permisit, at in ipsa fuga deprehensos retraxit. Nihil tamen mali perpessa est Alexandra, quod ille odium Cleopatræ timeret.

IV.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 15. c. 2. & 3.

IV. In festo Tabernaculorum novus Pontifex Aristobulus ad Altare accessit, ceræmoniasque decenter peregit. Illius autem forma & statura, qua totam generis dignitatem præseferebat, faustas voces, & comprecationes plus nimio expressit. Quare Herodes Pontificatus stirpi Assamonæorum, quam tanto favore Judæi prosequerentur, restituti pœnituit, ac paulo post ipsum Aristobulum nantem una cum aliis coævis adolescentibus in lacu Jerichuntis nactus, jussit specie ludendi in aquis demersum tamdiu detineri, quamdiu interiret. Annum agebat decimum octavum, nec integrum annum in ea dignitate exegerat. Eo sublato Sacerdotium jure postliminii ad Ananelum regressum est; quamquam & ipse non diu post, incertum tamen quo tempore, iterum remotus, Jesum filium Phebi successorem habuit.

ANNO MUNDI 3970. ante Christum 30.

Aristobulo occiso iterum in Pôtificem Ananelus assumitur.

V. Occiso ab Herode Aristobulo, Alexandra mater mortem illius casu accidisse, uti Rex ajebat, meliorem ultionis occasionem præstolans, credere se simulabat. Interim filii mortem, & vitæ suæ discrimen Cleopatræ significavit; quæ usque adeo Antonium ad Principis illius ulciscendam mortem sollicitare non destitit, ut tandem Antonius Herodem coram se causam dicere, & de crimine, quod illi imputabatur, se purgare coegerit. Herodes commissa Regni cura Josepho patruo, clam ei mandavit, ut si Antonius in se gravius aliquid statuisset, confestim Mariamnem interficeret, ne quis femina, quam summopere deperibat, post suam mortem potiretur. Cum vero

Herodis familia turbatur.

vero Herodes ad Antonium perveniſſet, muneribus animum adeo ſibi devinxit, ut ille in poſterum Cleopatram minime auſcultaverit, & Herodem, utpote Judæorum Regem, nullam cuiquam factorum ſuorum rationem reddere debere, dixerit. Interim cum vulgo Herodes ab Antonio interfectus diceretur, Alexandra Joſephum ſollicitavit, ut ſe & Mariamnem ad Romanos traduceret, ut turbis in Civitate forte concitatis, ipſæ in tutum reciperentur. Quin ſperabat conſequuturam quidvis Mariamnem, ſi in conſpectu Antonii veniſſet, atque etiam Regnum recepturam. Quod tamen executioni mandatum minime fuit, cum eodem tempore Herodis epiſtolæ, rumori prorſus contrariæ, pervenerint. Cum vero Herodes Hieroſolymam rediiſſet, ſtatim ſoror ejus Salome, attentata ab Alexandra illi aperuit. Nec hoc contenta Salome, maritum quoque ſuum Joſephum criminata eſt, Mariamnis conſuetudinem objiciens. Cum autem de ſervata pudicitia Herodi juramento fidem Mariamnes faceret, & ſuum viciſſim amorem Herodes commemoraret, negante illa amantis eſſe mandare, ſi quid humanitus accidat, uxorem innoxiam addi fati comitem, non aliter ſecretum hoc eam ſcire potuiſſe Rex credidit, niſi a Joſepho fuiſſet conſtuprata. Quare parum abfuit quin illam ſtatim interficeret. Joſephum tamen juſſit interimi, & Alexandram, ut malorum omnium cauſam, in cuſtodiam conjecit.

Herodes Cleopatram excipit.

VI. Cleopatra ab Euphrate redux, quo Anto-

tonium in Armeniam proficiſcentem ſecuta fuerat, in Judæam venit; quam Herodes, quamvis illi infenſus, regio apparatu excepit. Ab ea vero ad turpes amores inſtigatus, nedum non acquievit, ſed a nece etiam illi inferenda, ſolo amicorum conſilio abſterritus, abſtinuit. Regina conceſſam ſibi ab Antonio Arabiæ partem, & Jerichuntini agri, ubi balſamum, reditus Herodi locavit; qui tandem Peluſium uſque comitatus, muneribus cumulatam dimiſit. Arabs vero, poſtquam tributorum, quæ Antonius Cleopatræ deſtinarat, exactio ad Herodem ſpectare cœpit, malignior factus, & ad dandum ſegnior, vix partes quaſdam reddebat.

VII. Oppreſſo Lepido, Octavius & Antonius ſoli in Romana Republica dominabantur; ſed cum Antonius ob Cleopatram Ægypti Reginam repudiaſſet Octaviam Octavii ſororem, orto diſſidio, bellum tandem ſæviſſimum inter illos exarſit; quo furente Herodes Antonii ſibi amiciſſimi partibus favens, auxilium ſuum illi obtulit. Sed Antonius abnuit, juſſitque, ut arma in Arabem, qui tributum ſolvere detrectabat, verteret. Arabes igitur bello Herodes petiit, eoſque tandem, ut in ſui clientelam ſe traderent, coegit. Quo etiam tempore Judæa, quaſi numquam antea motu concuſſa, magnam per totam regionem hominum, pecudumque jacturam fecit.

Anno Mundi 3972. ante Chriſtum 28. *Herodes Antonii partes defendere parat.*

VIII. Superato Antonio ad Acticum navali prælio, Herodes Auguſti clementiam implorare coactus eſt. Cogitabat tamen e re ſua eſſe, ſi Hircanus prius e medio tolleretur; ſive

Anno Mundi 3973. ante Chriſtum 27. *Hircanus ab Herode necatur.*

sive evasurus esset periculum, tutius ratus neminem extare digniorem imperio; sive opprimendus a Cæsare, ut omnes putabant, successionem illi incidens. Hæc secum volutanti Alexandra filia Hircani, & mater Mariamnis patrandi facinoris occasionem præbuit. Cum enim femina illa speraret, Herodem Augusti indignationem non vitaturum, sollicitavit patrem, ne familiæ vexatorem diutius ferret, sed meliori fortunæ se conservans, ad Malchum Arabum Regem confugeret. Paruit Hircanus, licet invitus, datisque literis equitum manum a Malcho petivit, quibus ad lacum Asphaltitem, in finibus Arabiæ tuto deduceretur. Eas literas commissas sibi Dosithæus ad Herodem detulit; jussusque Malcho reddere, acceptamque responsionem sibi nuntiare, inceptum iter prosequutus est. Malchus prono animo nuntium excipiens, se transmittendis equitibus, omnibusque ad iter necessariis, quin & ad asylum exhibendum, se præsto futurum, respondit. Herodes his literis perlectis, quæsivit ab Hircano, ecquid negocii cum Malcho haberet. Negantem sibi quicquam esse cum illo commercii, productis literis illico morti damnavit. Hic Hircani finis, cujus vita variis infortuniis agitata fuit. Pontificatum gessit regnante matre Alexandra, cui succedens Regnum per tres annos & tres menses administravit. Aristobulus ejus frater a dignitate ipsum amovit; sed a Pompejo restitutus spatio trium & viginti annorum rebus præfuit. Depulsus ab Antigono,

auri-

auribusque mutilatus, apud Parthos exulavit, sed revocatus ab Herode, qui illi omnia debebat, octoginta annorum senex tandem occisus est. Sublato Hircano, curam Regni mandavit Pheroræ fratri suo matremque Cypron, & sororem, & totam denique cognationem in Massada deposuit. Mariamnem vero in castello Alexandrio una cum Alexandra ipsius matre collocavit, Josepho, & Sohemo custodibus imperans, ut si quid, quod nollet, accidisset, confestim ambas interficerent, Regnumque pro viribus liberis suis & Pharoræ fratri conservarent.

IX. His ita constitutis, Rex Rhodum veniens, Imperatorem cum omnibus regiis ornamentis, diademate excepto, indutus convenit, atque grandi, minimeque demissa oratione usus, se partibus Antonii favisse asseruit, cui etiam plura contulisset, nisi bellum adversus Arabes susceptum prohibuisset; ait tandem, se paratum esse eadem Cæsari, ac olim Antonio præstare, si illius favore in Regno firmaretur (*a*). Augustus viri magnanimitate captus, in Regno confirmavit, paremque amicitiam, quam Antonio exhibuerat, sibi quoque exhiberet, hortatus est. Redux in patriam, cum intellexisset, Augustum per Syriam in Ægyptum transire, ipsum apud Ptolemaidem regia magnificentia excepit, ac Pelusium usque comitatus, nihil ipsius exercitui deesse passus est; quin illum, illiusque amicos pluribus muneribus cumulavit. In Ægypto

ANNO MUNDI 3974. ante Christum 26.

Octavius Regnum Herodi confirmat, Ægyptoque post Antonii & Cleopatræ interitum potitur.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 15. c. 10.

pto Antonius pace cum hoste frustra tentata, manus sibi violentas intulit. Cleopatra pariter timens, ne ab Augusto in triumpho duceretur, aspidis morsu mortem sibi conscivit; atque ita Regnum Ægypti post annos 293. a morte Alexandri Magni in provinciam populi Romani redactum est. Herodes autem ad Augustum victorem convolans, magnis beneficiis ab eo ornatus est. Satellites enim 400. Galatas ei donavit, quos antea stipatores Cleopatra habebat, & regionis Jerichuntinæ partem reddidit, quam illa ab Antonio obtinuerat. Attribuit etiam illius Regno Gadaram, Hippon, Sammariam, Gazaram, Joppen, & Turrim Stratonis. Tandem Cæsar in Syriam venit, Romam profecturus, quem Herodes Antiochiam usque deduxit.

ANNO MUNDI 3976. ante Christum 24.

Mariamnes jussu Herodis necatur.

X. Nihil ad felicitatem Herodi deesse videbatur; sed domesticis curis adeo agitatus est, ut inter felicitates, omnium infelicissimus haberetur. Mariamnem enim uxorem suam impotenter amabat, cum interim illa a viro abhorrere ad contemptum usque videretur. Cujus quidem odii non una erat causa; graves enim simultates inter Mariamnem ipsam, & Cypron Regis matrem, sororemque Salomen exardescebant; mors etiam Aristobulo Mariamnis fratri illata nunquam exciderat; sed nil molestius ferebat, quam quod, ne illo quidem defuncto, spes relinquebatur, ipsam fore superstitem: Herodis enim mandata de ipsa, si quid sibi sinistri accidisset, occidenda facta, ab ipsomet quoque Sohemo muliebribus blandi-

ditiis Mariamnes expiſcata fuerat. Herodi igitur poſt deductum Cæſarem regreſſo, cum uxori blandiri vellet pro more, illa contemptum, averſationem, & ſuſpiria exhibebat. His Regis animus vehementer angebatur, cupienſque non raro feminæ ſuperbiam punire, intercedente amore vetabatur; nihilque magis timebat, ne ſumpto de ea ſupplicio, ſe ipſum hoc pacto gravius læderet, ob necatæ deſiderium. Verum res tandem eo devenit, ut Mariamnes aliquando Regem a ſe depellens, ſævitiemque & efferatum in ſuos animum exprobrans, iram viri ſolito majorem in ſe concitaverit; vixque Herodes ab inferendis illi manibus ſe continuit. Cum Herodem ex ſtrepitu commotiorem ſenſiſſet Salome, ſubmiſit pincernam jamdudum ſubornatum, qui ſollicitatum ſe a Regina, teſtatus eſt, ut amatorium poculum Regi miniſtraret. Interrogatus quæſtione Mariamnis eunuchus nihil de poculo dixit, faſſus tantummodo, uxoris in virum concitandæ, proditum a Sohemo ſecretum de inferenda Reginæ nece, ſi Herodi infauſtum aliquid a Cæſare accidiſſet, cauſam exhibuiſſe. His auditis Herodes, ratus nonniſi pudicitiæ pretio ſecreti proditionem a Sohemo uxorem impetrare potuiſſe, vehementer excandeſcens, ipſum quidem Sohemum juſſit interfici; uxorem vero, accito amicorum concilio, veneficii accuſavit. Cum orationis vehementia eo tendere videretur, ut uxoris mortem vellet omnino, communi ſuffragio illam damnarunt. Cenſentibus autem illis ſupplicium aliquandiu diffe-

ferendum, Salome institit apud Regem, ut statim necaretur, ne quis in populo motus cieretur. Alexandra mater Mariamnis, æquale sibi fatum metuens, filiæ mortem comprobare se simulavit. Cum igitur illa ad supplicium duceretur, Alexandra ipsam injuriis aggressa, vix se continuit, quin in miseræ capillos involaret. Mariamnes vero, dum mortem subiit, mirum virilis constantiæ specimen, ne vultus quidem colore mutato, exhibuit.

Alexandra interficitur, & pestilentia sævit.

XI. Herodes sopiti jam amoris stimulis exagitatus; brevi extinctæ desiderio adeo rapiebatur, ut illam proprio nomine, tamquam præsentem, sæpe vocaret, & ut ad se illam adducerent, ministris præciperet, indignasque regia Majestate querelas funderet. Dimissis quin etiam Regni curis, venationis prætextu in solitudine se abdidit, ubi dolori succumbens, gravem morbum contraxit, mente etiam mota nonnihil. Res parum a desperatione abfuit. Alexandra morti proximum rata, duarum arcium Hierosolymitanarum, in quarum altera erat Regia, altera vero Antonia dicebatur, Præsides solicitavit, ut eas sibi, filiisque, quos Herodes ex Mariamne susceperat, traderent, ne Rege obeunte, alii occuparent. Illis vero per nuntium rem Herodi significantibus, statim femina interfecta est. Dum Herodes morbo detinebatur, supervenit pestilentia, quæ in plebem & aulicos dire grassabatur, omnibus irato Numine hanc immissam interpretantibus propter injustum Mariamnis supplicium.

XII.

XII. Herodes tandem convaluit, sed sic efferatus est, ut quavis ex causa ad sæviendum esset propensissimus. Id vero post celebre Costobari repudium clarissime patuit. Vir ille ex clarissima Idumæorum familia, originem referebat; progenitores enim illius functi fuerant Sacerdotio *Chosen*, Numinis Idumæorum, antequam ejus regionis populi ad Sacra Judæorum per Joannem Hircanum reducerentur. Porro in *Chosen* nonnulli Moysem agnoscunt. Costobarus plurimis Herodi præstitis, ejus sororis Salomes, post necem Josephi prioris illius mariti, nuptias promeruit. Verum immodica tumens ambitione, de Idumæis a Judæorum dominio subducendis Antonii auctoritate, cum Cleopatra per literas agere cœperat, futurum sperans, ut ejus Regni imperium sibi traderetur. Herodes ejus rei certior factus necem Costobari decrevit; quam tamen Salome deprecante remisit. Post hæc Salome illius pertæsa, inaudito ad id usque exemplo, repudium indixit. Neque enim, ait Josephus, quod viris conceditur repudii privilegium, illud etiam ad feminas prorogandum est. Dimissum virum veteris cujusdam conspirationis accusavit, eoque crimine alios plures involvit; ex quo illis omnibus supplicium constitutum fuit (*a*). *Costobari repudium & mors.*

XIII. Cum nihil jam reliquum esset ex Hircani familia, & sublatis omnibus, quorum excellebat dignitas, cuncta Herodes ab libitum posset disponere, a patriis ritibus plus quam *Herodes Ethnicorum mores imitatur, & fabricis studet.*

(*a*) Joseph. Antiq. l. 15. c. 11.

quam antea discessit. Ac primum athletica certamina quinto quoque anno in honorem Cæsaris instituit, excitato Hierosolymis theatro, & in campo Amphitheatro, utroque autem sumptuoso opere conspicuo; quibus Judæorum invidiam subiit, qui nihil magis impium æstimabant, quam ex spectandis hominibus cum bestiis comparatis, aliisque Ethnicorum more celebratis exercitiis, exhibitisque spectaculis, voluptatem crudelem captare homines, peregrinisque artibus mutari veterum instituta. Sed nihil tam molestum fuit, quam Augusti trophæa, quibus ædificia illa exornabantur. Verum Herodes accitis ex Judæis præcipuis, rogabat eos, ostensis trophæis, quidnam hoc esse putarent, quod tanto odio execrabantur? Cumque reclamassent, hominum esse imagines armis contectas, quarum usus sibi esset interdictus, jussit detrahi ornatum apposititium & ostendit nudos stipites; quo facto in risum versa est indignatio concepta ex suspicione imaginum. Nonnulli tamen, quos inter quidam cæcus, intemperantiori religione abrepti, in theatrum sicis latenter armati vadunt, sperantes, nec ipsum Regem improvisum impetum suum evasurum, aut certe multos ex aulicis ejus stipatoribus opprimendos; & vel hoc sibi fore mortis solatium, si illum violatæ Religionis ergo in populi invidiam adducerent. Verum Herodes conjurationem subodoratus, illos exquisitis cruciatibus necandos præcepit. Nec multo post delator eorum, invisus omnibus, a quibusdam interfectus,

fru-

frustatim concisus est, & objectus canibus: Ut vero Herodes magis sibi caveret, adimeretque populo tumultuandi occasionem, arces nonnullas per totam regionem opportune disposuit. Inter alias eminebat Samaria, quam restitutam pristino splendori, mænibusque vallatam, ut æternum staret sui in Augustum obsequii monumentum, *Sebasten*, quod nomen Latino *Augusta* respondet appellatam voluit. In loco maritimo, cui quidem Turris Stratonis, Græci facile cujusdam, nomen erat, urbem condidit elegantissimam, quam in ejusdem Imperatoris honorem *Cæsaream* nominavit, auxitque deinde admirandi operis portu, multis turribus munito, quarum eminentiori *Drusi*, ipsius Augusti, & Liviæ filii, nomen indidit. In ipsius pariter urbis meditullio, quod in collem assurgebat, Templum Augusto excitavit, geminasque statuas, alteram ejusdem Principis, alteram Romæ, extare voluit; excusans se Judæis, quod non sponte, sed potentiorum jussu hæc faceret, in solo tamen a Judaico alieno. Sed & in ipso Sionis monte Regiam sibi ædificavit, duabus in ea extructis ædibus amplissimis, quibus ne Templum quidem Hierosolymitanum conferri posset. Harum autem alteri Cæsaris, alteri Agrippæ, Cæsaris generi, nomen imposuit. Aliam quoque Regiam, adjuncto etiam oppido, de suo nomine Herodium dicto, condidit, ubi olim Antigonum superavit.

ANNO MUNDI *3979.* ante Christum 21.

XIV. Interea siccitas diuturna regionem obtinuit, quam sterilitas sequuta est; postea per ino-

Fame & peste regio vexatur.

inopiam, mutata victus ratione, morbi invaluerunt, & pestilentia. Cumque Herodi, ut publicæ necessitati succurreret, satis amplæ facultates non suppeterent, quidquid erat in Regia supellectilis tam aureæ, quam argenteæ, id totum concidit, nec laudatorum artificum parcens operibus, nec vasis ad usum necessariis. Inde confectam pecuniam misit in Ægyptum, quam tunc Petronius pro Cæsare obtinebat, ab eo frumentum empturus. Adversus etiam hyemis asperitatem subditis suis providit, ne qui periclitarentur inopia vestium, absumptis pecoribus, & lanis, aliisque tegumentis deficientibus. Ne dum vero suis, sed & propinquis Syrorum urbibus, quæ eisdem laborabant difficultatibus, solicitudinem adeo impendit, ut omnium animos sibi devinxerit, qui non, qualis antea fuisset, reputabant, sed qualem tunc recens experirentur (a).

ANNO MUNDI 3981. ante Christum 19.

Simeon Sacris præficitur. Herodes Augusti gratia fruitur.

XV. Herodes Jesu Phabis filio Pontificatum abrogat, ad quam dignitatem Simonem Boethi filium assumit, ut eam ducendæ sibi Mariamnem ejus filiam, feminam omnium tunc temporis pulcherrimam, occasionem prætenderet. Quo etiam tempore filios suos Alexandrum & Aristobulum, ex Mariamne susceptos, Romam ad Cæsarem in domo Pollionis educandos misit. Adolescentes summa humanitate Cæsar excepit, patrem vero Trachonitide, Batanæa, & Auranitide donavit, quæ ad Zenodorum spectabant. Ditionem hanc a Lysania Ptolomæi Mennæi filio, Chalcidis & Ituræ

(a) Joseph. Antiq. l. 15. c. 12.

rææ Rege, instigatione Cleopatræ olim ab Antonio perempto, Zenodorus conduxerat; sed ejus proventibus minime contentus, incolarum latrocinia fovebat (a). Cum autem in Syriam venisset Augustus, aures ejus occupatant statim querelæ in Herodem. Zenodorus enim, & Gadareni reum illum egerunt impotentiæ, tyrannidis, & rapinæ. Sed nubes hasce omnes præsentia sua dissipavit Herodes, eo insuper desperationis adigens Gadarenos, ut illata sibi nece eriperent se ex infestissimi adversarii manibus. Adeo vero nihil Augusti animus accusationibus illis commotus est, ut Regem honoribus cumularet, augeretque tota Zenodori, fluxu sanguinis tunc extincti, Tetrarchia. Quin Herodes Imperatoris benevolentia fretus, Pheroræ fratri suo aliam Tetrarchiam impetravit, de suo Regno decisis centum talentorum redditibus, ut etiam, si quid fatale illi accidisset, in tuto essent res illius, neque Herodis filiis subjiceretur. Herodem præterea Cæsar adjunxit Syriæ Rectoribus, & ne quid eo inconsulto provinciæ illius Procuratoribus liceret administrare præcepit. Tandem Herodes deducto ad mare Cæsare, in Regnum reversus, in terra Zenodori elegantissimum Imperatori Templum, prope Panium montem, in cujus radicibus sunt Jordanis fontes, excitavit.

XVI. Post hæc Herodes tributorum partem remisit, prætextu quidem, ut post sterilitatem *Herodis solertia.* sub-

(a) Joseph. Antiq. l. 14. c. 4. & l. 15. c. 13. Dio. l. 49.

ſubditi ſe reficerent; re autem vera, ut illorum animos deliniret, qui prophanis Regis operibus, Religionem, & antiquos mores convellentibus, magis magiſque offendebantur. Seditionibus autem vitandis, conventicula per urbem, & frequentiora convivia prohibuit; & tum alios ſpeculatores adhibuit, qui ſe conventibus inſererent, tum ipſe quoque ſe plebejo cultu noctu vulgo miſcuit, ut experiretur, quid de ſe populus ſentiret. Et quotquot ejus ſtudia improbarent, in omnes inclementer animadvertebat, reliquam vero multitudinem ſacramento obſtringebat, quod non eſſent a fide diſceſſuri. Quamvis autem hoc juramentum Pollionis & Sameæ ſectatores denegaſſent, non tamen eos punivit ob tantorum Præceptorum reverentiam.

Herodis in Eſſenios favor.

XVII. Hanc etiam neceſſitatem Eſſeniis remiſit, Manahemo ex illa ſecta rem gratam facturus. Hic Herodem adhuc puerum Regem ſalutavit, monens, ut juſtitiæ & pietati in Deum ſtuderet; quamquam ſcire ſe dixit, in contrarias vias ab illo abeundum, omniaque Religionis & humanitatis jura peſſumdanda. Addidit etiam futurum, ut labentibus vitæ annis pœnas de crimine Deus exigat acerbiſſimas. Herodes primo prædictiones contemnere, dein Regno potitus, virum quærendum juſſit, inventumque interrogavit, quantum ſibi annorum in Regno ſupereſſet? Cum interrogationem eludere videretur, quæſivit Rex, an ſaltem decennio eſſet regnaturus: cui alter, Et viginti, & triginta, nihilque ulterius adje-

adjecit. Quare benevolentiam suam Herodes non in illum tantum, sed & in totam Essęniorum gentem extendit (*a*).

XVIII. Decimo octavo sui Regni anno novam Templi molitionem, celebritatem sui nominis posteris commendaturus, aggressus est. Cum suum populo consilium ea de re aperuisset, detrectare omnes, veriti, ne post destructum vetus ædificium, novumque opus aggressus, ab incepto tandem deterreretur. Spondenti tamen Herodi, non prius dejicienda vetera, quam omnia, quæ ad novum ædificium exigebantur, parata essent, tandem acquievere. Novennio & sex mensibus totum opus absolutum, tandem anno Mundi 3996. dedicatum est. Molis fundamenta jacta sunt 46. annis ante primum Salvatoris nostri Pascha, ut Judæi innuunt illis ad ipsum verbis: *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud* (*b*)? Quæ sane verba non eo spectant, ut Herodes 46. annorum spatium Templi ædificationi impenderit; sed jam inde ab eo Principe absoluto ædificio, nova subinde ac nova opera adjecta sunt, ut usque ad tempus initi cum Romanis belli opera circa Templum non cessarint (*c*). Quidam, quæ de Templo ab Herode excitato dicuntur, ficta esse censent (*d*). Incredibile tamen est, Josephum in re tam grandi, tamque manifesta, mentiri voluisse. Alii

Anno Mundi 3985. ante Christum 15.

Novæ Tēpli fabricæ Herodes incumbit.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 15. c. 13.

(*b*) Joan. 11. 20.

(*c*) Joseph. Antiq. l. 20. c. 8.

(*d*) Harduin.

volunt, Herodem ornasse Templum, non ædificasse (*a*). Ceteri malunt, Templum ab Herode excitatum non fuisse ex ruinis, sed paulatim per partes innovatum, ut unum idemque cum secundo Templo Zorobabelis censerent (*b*).

Templi mensura. XIX. Frons Templi proprie dicti centum cubitis quaquaversum patebat; pone vero sexaginta tantum dimetiebatur; quin decisis cellis, quæ utrimque ad latera regnabant, non pluribus quam viginti in latum excurrebat, longitudine sexaginta cubitos adhuc retinente, quorum quadraginta, fronti proximiores, Sanctuarium, reliquos Sanctum Sanctorum sibi vindicabant. Constabat autem structura ex lapidibus candidis, magnitudine 25. cubitorum in longum, 8. in altum, & 12. in latum (*c*). Totum ædificium stadio, scilicet 625. pedibus, in quadro extendebatur. Quare, si Josepho fides, Templo Herodiano Salomonicum 25. cubitis quaquaversum concedebat. In aliis etiam alterum ab altero erat discretum, ut videre poteris, si ea quæ alibi descripsimus, cum iis, quæ mox subjiciemus, conferre non gravaberis (*d*).

Primum & alterum Atrium. XX. Intra primum ambitum per januam ad latus orientale, & alteram ad Meridiem, ac tertiam ad Septemtrionem aditus patebat. Quadruplex ad Occidentem janua pandebatur, unde

(*a*) Villalpan. Salian. l. 6. c. 6. Antiq. l. 15 c. 14.
(*b*) Berti de Theolog. Discipl. t. 5. p. 51. n. 4.
(*c*) Joseph. de Bello,
(*d*) Histor. l. 3. c. 1.

unde ad Aulam & ad Urbem exitus; reliquæ duæ viæ ad agros imminebant (*a*). Tres porticus, quæ celsi, solidique muri interiora occupabant, quatuor columnarum ordinibus fulciebantur. Vix trium hominum complexu columnæ illæ continebantur, quarum numerus ad 162. ascendebat, altitudo vero 27. pedibus dimetiebatur. Lacunar cedrinum erat. Porticus media augustior 45. pedibus latitudinis, & 100. altitudinis spectabatur; geminis ad latera 30. pedibus latitudinis, & 50. altitudinis mensura. Eo autem populus se se recipiebat, si cæli injuriæ ad id compulissent. Atrium porticibus subjectum marmoribus variegatis stratum erat. Modico e porticibus spatio alterum claustrum succedebat, cancellatis marmoreis septum. Certo illic ordine dispositæ columnæ, Græcis & Latinis inscriptionibus insculptæ; quibus alienigenæ & impuri, ne sub mortis pœna ultra procederent, admonerentur. Septo illi nulla erat ad latus occidentale janua; ad orientale una tantum patebat; ad septemtrionale vero, & meridionale tres utrimque æquo ordine dispositæ.

Tertium Atrium.

XXI. Tertium ambitum, Templum & Altare continentem, murus 40. cubitorum constituebat. Ejus areæ spatium, quemadmodum & cetera, quadratum erat. Porro hujus muri altitudo, ne tota interius spectaretur, prohibebant gradus undique regnantes. Statim enim 14. gradus se se offerebant, ex quibus in aream, secundum murorum ambitum productam, & de-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 15. c. 14.

decem cubitis latam, aditus. Hanc novi gradus quinque excipientes, ad januam deducebant; quare interior muri facies nonnisi ad 25. cubitos assurgebat (a). Hic ad latus orientale una tantum janua aperiebatur; quatuor vero ad meridiem, totidemque ad septemtrionem, nulla ad occidentem, ubi perpetuus muri ductus a Septemtrione ad Meridiem excurrens. Introeuntibus per singulas januas statim aulæ quædam in tabernaculi similitudinem se se offerebant, 30. cubitorum in quadrum, & 40. in altum; quibus fulciendæ geminæ columnæ 12. cubitorum, sive 18. pedum crassitudine supponebantur. Intra septum fastigiatæ porticus duplices, duplicato columnarum ordine ad Orientem, Septemtrionem, & Meridiem, nullæ vero ad Occidentem, continebantur. Ibi destinatus feminis a viris discretus locus.

Altare, & Templum proprie dictum.

XXII. Altare holocaustorum absque gradibus scansile, 15. cubitos in altum, & 40. quaquaversum in latum æquabat. Templi prospectum relata ex hostibus a Regibus Juda trophæa, Domino a Victoribus dedicata, exornabant; quæ in extima facie novi Templi apponenda, novis a se ex præliis in Barbaros adjectis, Herodes curavit. In vestibulo Templi 90. cubitis alto, & 100. a Septemtrione in meridiem excurrente, janua spectabatur 70. cubitis celsa, atque 25. cubitis patens. Templi tectum auro nitebat, acutisque horrebat verubus; ne aves ibi pedem figere possent, & stercorare. Nihil de Sancto, & Sanctuario, ac

(a) Confer Joseph. de Bello l. 6. c. 6. cum l. 5. c. 5.

ac cellis secundum duo Templi latera regnantibus, præter alibi dicta (*a*), addendum occurrit.

Templum a Sacerdotibus tempore impluvio ædificatur.

XXIII. Narrat Josephus, cum Templi hujus ædificationi incumberet Herodes, ne in atrium sacerdotale ingrederetur, religione absterritum, ejus operis moliendi curam totam in Sacerdotes transtulisse. Horum sedulitate factum est, ut totum opus 18. mensium spatio absolveretur; reliqua vero 8. annorum labore stetere. Refert etiam idem auctor ex veteri traditione, toto eo temporis spatio, quo Templi ædificationi adlaboratum est, impluvios semper dies decurrisse; quamquam noctu interdum pluebat, ne intermittere unquam opus artifices cogerentur.

Templum dedicatur.

XXIV. Ultima jam ædificio manu imposita, dedicatio solemni pompa celebrata est. Omnia Dei ab universo populo laudibus insonabant: Regi etiam acclamatum, cujus impendio & solertia tantum opus stetisset. Solemni etiam trecentorum boum Sacrificio Deo a Rege litatum est, ne quid dicamus de victimis a populo oblatis, quorum copia numerum vincit. Recurrentes vero eo temporis articulo dies inaugurationis Herodis, Festi accessione publica gaudia cumularunt. De Turri, quæ Templo adjacebat, amplificata ab Herode, & Antonio dedicata, ubi sacræ summi Sacerdotis vestes custodiebantur, cum de Hircano primo ageremus, pertractatum est (*b*).

Judæo-

(*a*) Vide hanc Histor. l. 6. c. 1.

(*b*) Vide hanc Histor. l. 9. c. 10. n. 13.

Judæorum in Herodem invidia. Agrippa Augusti gener Judæis amicus. Alexandri & Aristobuli filiorum Herodis causa. Antipatri dolus, & interitus. Herodis crudelitas, impietas, magnificentia. Christus nascitur. Judæ & Matthiæ zelus. Herodes obit. Ejus testamentum & posteritas.

CAP. IV.

Nova in Herodem invidia.

I. AD historiæ seriem revocandus est sermo. Lege lata edixit Herodes, ut perfossores parietum liceret vendere in servitutem extra regionis terminos. Hoc autem Religionem, & Moysis Legem non parum lædebat. Qui enim extraneis idololatris vendebantur, Idola colere quodammodo cogebantur; nec anno sabbatico, ut Moyses præcepit, ad pristinam libertatem poterant redire. Hinc nova in Herodem creata est invidia (*a*).

ANNO MUNDI 3988. ante Christum 12.

Herodes Roma filios reducit.

II. Templi ædificatione incepta Herodes iter Romanum inivit, ut Augustum salutaret. Comiter ab Augusto exceptus, satisque filios, quæ ipsos decerent, edoctos nactus, postquam in Urbe, totoque itinere liberalis animi argumenta haud vulgaria exhibuisset, cum filiis in Judæam rediit. Reduces regii juvenes, tum ob corporis elegantiam, tum ob Asmonæorum stirpem, quam a matre ducebant, magna lætitiæ significatione a Judæis exci-

(*a*) Joseph. Antiq. l. 16. c. 1. Exod. xxii. 3.

excipiuntur. Herodes deinde illorum nuptias celebravit, Ariſtobuli nempe cum Berenice filia Joſephi, patrui Herodis, & Salomes ſororis ejuſdem Regis; Alexandri vero cum Glaphyra, Archelai Regis Cappadociæ filia (*a*).

III. Cum Agrippa in Aſiam profectus fuiſ- Anno
ſet, ab Herode invitatus in Judæam venit, Mundi
deductuſque a Rege per urbes Sebaſtem, Cæ- 3990.
ſaream, Alexandrium, Herodium, & Hirca- ante Chri-
nium, ut quid ipſe condidiſſet, quidve Au- ſtum
guſti nomini dedicatum eſſet, coram intuere- 10.
tur, Hieroſolymam tandem ingreſſus eſt, eo- *Agrippa*
que honore exceptus, quo majorem ſibi opta- *in Judæã*
re non potuiſſet. Ibi populo epulum præbuit, *venit.*
admiratuſque ordinem in Templo ſervatum, hecatombem Deo obtulit. Hieroſolymis diſcedens Agrippa ad mare venit, in Joniam navigaturus; quo ad ipſum Herodes poſt aliquod tempus rurſus properavit; ubi Judæi, ejus regionis urbes incolentes, queſti ſunt de indigenorum injuriis, quod nec Legibus ſuis eos vivere ſinerent, & feſtis diebus traherent ad tribunalia, & ſacram pecuniam Hieroſolymam mittere vetarent, adigerentque ſe ad expeditiones, munia publica contra conceſſa per Romanos privilegia. His auditis Agrippa reſpondit, ſe cum propter Herodem amicum, tum quia æquum poſtulare viderentur, daturum operam ne quis illis moleſtus eſſet amplius (*b*). Nonnullis poſt annos Auguſtus quo-

(*a*) Joſeph. ibid. c. 2. 16. c. 4.
(*b*) Joſeph. Antiq. l.

quoque Asiaticis, & Cyrenensibus Judæis non absimili injuriarum genere afflictis, vetera jura & privilegia asseruit (*a*).

ANNO MUNDI 3993. ante Christum 7.

Herodes filios suos Alexandrum & Aristobulum apud Cæsarem accusat.

IV. Inter hæc domi turbæ excitantur. Solomes enim & Pheroras, metuentes ne Alexander & Aristobulus, cum Regnum cepissent, matris suæ mortis ultionem ab ipsis repeterent, illos perdere decreverant. Juvenum igitur ferociam frequentius provocantes, ut suos de Mariamnes morte sensus aperirent, omnes amborum sermones, minus caute prolatos, captabant; eosque odiosis fictisque verbis adumbratos ad Herodem deferebant, qui fratri ac sorori minime diffidens, generosamque filiorum indolem optime noscens, eos facile matris mortem ulturos credidit. Quare ipsorum audaciam compressurus, Antipatrum primogenitum suum, quem ex Doride plebeja, & ab ipso adhuc privato procreatum, quemque in eorum gratiam civitate expulerat, solis festis diebus eo commeandi facultate concessa, Hierosolymam accersiit, totque, tantaque amoris in illum argumenta exhibuit, ut Regni successor destinatus crederetur. Agrippam etiam Romam redeuntem invisurus Herodes, comitem itineris Antipatrum voluit, quem illi tradens Romam deducendum pluribus commendavit, atque ut Augusto commendaret, enixe rogavit. Antipater vero ceteris fratribus prælatus, curas omnes in fratrum exitium convertit. Quare Romæ degens illos apud patrem per literas accusavit, dispositumque

(*a*) Ibid. c. 10.

que Herodis animum ita in illos concitavit, ut Rex ambos Romam, ac deinde Aquilejam, ubi Cæsar tunc morabatur, actutum adduceret. Filiis igitur coram Augusto constitutis, Herodes conquestus est, eo processisse illorum odia, ut per patris necem paterno Regno potiri cuperent. Juvenes vero purgatione, precibus, lacrymis, adeo omnibus, qui aderant, causam suam probarunt, ut Augustus cum patre specie saltem ipsos composuerit. Herodes 300. talentis Cæsarem donavit; qui vicissim illi dedit dimidium redituum e metallis Cypriis, liberamque permisit facultatem eligendi successorem quemcumque e filiis, aut, si mallet, distribuendi Regni in singulos. Regressus autem Hierosolymam Herodes, populis in Templo congregatis, filios suos post se regnaturos palam declaravit, Antipatrum tamen primo, tum Alexandrum, postremo Aristobulum. His duo fratres durius irritati, in questus & murmura erupere. Quibus ad Herodem delatis, Pheroras, Salomes, & Antipater Regem in filios provocare non cessabant. Tanta autem simulandi arte pollebat Antipater, ut cum atrocissimas in illos calumnias strueret, excusare, & misereri videretur (*a*).

ANNO MUNDI 3995. ante Christum 5. *Herodes Davidis sepulchrũ aperit.*

V. Cum Cæsareæ Stratonis structura perfecta fuisset, magna celebritate, & apparatu sumptuosissimo Cæsari eam dedicavit. Musicos, Athletas, Gladiatores, feras, & quidquid

(*a*) Joseph. Antiq. l. 16. c. 7. & 8. Nicol. Da- masc. in vita sua in Ex- cerp. Vales. p. 421.

quid hujus generis in pretio erat, ad ſpectaculum accivit Herodes; quod quidem certamen inſtaurandum per ſingula quinquennia decrevit. Extruere cœpit deinde in campo Capharſaba oppidum, de patris nomine Antipatridem dictum; Caſtellum quoque matris nomine Cyprum appellatum in agro Jerichuntino ædificavit. Hieroſolymis pulcherrimam, editiſſimamque turrim in honorem fratris Phaſaeli Phaſaelum excitavit; eoque nomine novum oppidum in eodem agro Jerichuntis appellavit. His autem, aliiſque publicis operibus in omni fere loco, per quem tranſire illi contigit, erogata immenſa pecuniarum copia, excitatis, ſubditos enormibus tributis oneravit, auditoque, quod Hircanus I. recluſo Davidis ſepulcro tria millia talentorum extuliſſet, ſupereſſeque multo plura, quæ poſſint quantumvis magnis ſumptibus ſufficere, aſſumptis amicorum fidiſſimis, noctu apertum ſepulcrum ingreditur. Depoſitas tamen pecunias non invenit, ſed Mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtulit. His invitatus ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſit uſque ad conditoria corporum Davidis & Salomonis. Verum ibi duos amiſit ſatellites, erumpente, ut fertur, ex adytis flamma contra progreſſos temere. Quo caſu territus exivit, tactuſque religione, ad expiandum ſe, in aditu ſepulcri monumentum e candido marmore ſumptuoſiſſimis impendiis condidit (*a*).

VI.

(*a*) Joſeph. Antiq. l.7. c. 11. 4. Mach. c. 2. Vide c. ult. l. 13. c. 16. & l. 16. hanc Hiſtor. l.5. c.22. n.5.

VI. Interea Alexandri, & Ariſtobuli cauſam omni moto lapide ſubvertere conabantur ipſorum æmuli. Cum quadam die Pheroras Alexandro dixiſſet, ſe a Salome uxore ſua intellexiſſe, Herodem inſana in Glaphyram ipſius uxorem libidine ardere, Alexander ſe minime continens, hæc ad Herodem detulit. Herode autem Pheroræ ſupra modum irato, ipſumque tetræ adeo inſimulationis redarguente, ille in Salomem adſtantem crimen rejecit; quæ ingenti clamore calumniam repulit. Quibus tandem tædio affectus Herodes, ipſos abſcedere juſſit, filii ſui modeſtia, qui tanti momenti rem ſibi aperuit, commendata. Duo erant Herodi Eunuchi, quibus maxime fidebat, quoſque ſeriis, magniſque negotiis immiſcebat. Hi cum ab Alexandro corrupti fuiſſe accuſarentur, juſſu Regis quæſtioni applicati fuere; ex quibus tormentorum violentia hæc expreſſit, ſe ab Alexandro & Ariſtobulo, ut ab Herode, effecto jam ſene, & ætatem artificioſe pictis barba & capillis, diſſimulante, deficerent, ſollicitatos; melius quidem ſibi conſulturos, ſi ipſis, brevi Regnum moderaturis, adhærerent; omnia jam pro ipſis diſpoſita eſſe, ipſorumque amicos ad arma capeſſenda paratos, ut debitum ipſis jus tuerentur. Nec plura addere oportuit, ut Herodis animus triſtiſſimis curis agitaretur, atque domeſticis omnibus prorſus diffideret. Quos vero filiorum familiares eſſe noverat, comprehendi juſſit, & torqueri; quorum plerique in tormentis fatentes ſe nihil habere, quod revelarent, expira-

Alexander & Ariſtobulus Herodi magis ſuſpecti redduntur.

runt: Quidam tamen doloribus victus dixit, se frequenter ab Alexandro audivisse, dum corporis illius proceritas, & sagittas jaculandi peritia laudabatur, se cum Rege inambulantem contrahi per industriam, & submitti, ne Rege procerior videretur; in venatione vero ad constituta ferire non audere, cum sciret, hujusmodi dotes a patre non sine invidia considerari. Tormentis intermissis, addidit, fratres ambos conspirasse, ut patri inter venandum insidias struerent, eoque obeunte, Romam quantocyus navigare decrevisse, paternum Regnum ab Augusto petituros. Productæ etiam fuerunt Alexandri ad Aristobulum literæ quibus datos Antipatro agros ab Herode, 200. talentorum fructum quotannis afferentes, conquerebatur. Tunc Alexander comprehensus est, ejusque amici torti, ex quibus unus, Alexandrum id per amicos tentasse, ait, ut Romam ab Augusto vocarentur, cum nonnulla haberent in patrem revelanda, qui Mitridatis Parthorum Regis amicitiam Romanorum fœderi præferret. Addidit, servatum Ascalone ab Alexandro venenum, quo in patrem uteretur. Sed venenum hoc quamquam diu perquisitum fuisset, nusquam tamen repertum est.

Herodes filiis reconciliatur.

VII. Alexander hoc turbine minime motus, datis ad Regem libellis significavit, frustra ob sui causam tot homines torqueri; verissimum esse, positas a se insidias patri, & Aulicorum præcipuos, inter quos Pheroram ipsum secum conspirare. Affirmabat insuper, Salo-

Salomem noctu ad se clam venisse, & in suo cubili, se invito, cubasse; omnesque familiares tempus illud votis omnibus expectare, quo a timoribus, quibus ob ipsius crudelitatem & diffidentiam agitabantur, liberi respirarent. Hæc autem ille dicebat, sive volens pudefacere facilitatem patris ad credendum calumniis, sive, ut, si forte crederet, familiam omnem inextricabili ambage confunderet. Interim Archelaus Cappadociæ Rex, Alexandri Socer, omnium, quæ apud Herodem agebantur, non ignarus, Hierosolymam venit; ac primum Herodem conciliaturus, invisum sibi Alexandrum simulans, velle se, dicebat, nuptias abrumpere, quas ille cum filia sua contraxerat; simulque illius ingenium pluribus insectatus, Herodem summis laudibus extulit. Cum vero Herodem dispositum vidisset, paulatim omnem ab Alexandro invidiam depellere, ac in familiares ipsius, maxime autem in Pheroram rejicere cœpit. Pheroras his intellectis, Archelaum convenit, rogans ut auctoritate sua pacem sibi ab Herode impetraret; quam occasionem nactus Archelaus, suasit ut ipse Pheroras omnium eorum quæ familiam subornassent, auctorem se coram Herode fateretur, ac veniam deprecaretur, pollicitus opera sua exinde effecturum ut pacem obtineret. Res pro voto successit, quippe Archelaus dexteritate sua universæ Herodis familiæ pacem restituit. Secundum hæc, una cum ipso Herode Romam contendit.

ANNO MUNDI 3998. ante Christum 2.

Herodes filios carcere includit.

VIII. Brevi tamen malaciam procella consecuta est. Euricles quidam Lacedæmonius, Herodis gratiam iniens, Alexandri etiam familiaritatem adeptus est, adeo ut hic omnia mentis suæ arcana, & querelas in patrem illi aperiret. His ab Euricle ad Herodem delatis, Herodes rursus de filiis suspicari, observare, & quæ in ipsos dicebantur, audire. Cum Alexander satellites, quos Herodes a sua servitute dimiserat, in suum famulatum recepisset, ille insidias suspicatus, ipsos comprehendi, & tormentis subdi imperavit. Qui se ab Alexandro sollicitatos indicaverunt, ut Regem in venatione, feram vulnerare simulantes, interficerent; se vero facinus illud nullo negotio celaturum, si Regem ex equo præcipitem, suisque telis confixum fuisse, diceret. Præfectus deinde arcis Alexandrii comprehensus, regios fratres se in arcem recepturum, regiique thesauri opes ipsis crediturum promisisset, insimulabatur. Eo tormenta fortiter ferente, & rei falsitatem profitente, ipsius filius, quæcumque petebantur, ultro fassus est, productis etiam Alexandri epistolis, in hæc: Ut, quæ decrevimus, perfecerimus, ad te recipiemur. Tu cura, ut nos quemadmodum promisisti, in arcem recipias. His visis Herodes positas sibi insidias minime dubitavit. Eas tamen literas a se scriptas Alexander constantissime negavit; sed a Diophanto characterem suum imitato. Filios igitur Herodes diverso carcere inclusos, omnem conspirationis seriem scripto edere jussit. Qui re vera ad

Re-

Regem Cappadociæ recipi decrevisse, nil tamen in patris vitam tentasse, responderunt. Tunc Rex Alexandrum vinculis obstrictum ad Glaphyram illius uxorem duci jussit, ut an viri consiliorum particeps foret, dignosceretur. Viri aspectus ab illa ululatus & lacrymas expressit, nulliusque se ream esse professa est; revera tamen ut a præsenti tyrannide liberaretur, ad Regem patrem suum in Cappadociam cum Alexandro secessum, & inde Romam navigationem decrevisse.

ANNO MUNDI 3999. ante Christum 1.

Herodes adversus filios consilium cogit.

IX. Tunc Herodes filios apud Cæsarem per literas conspirationis in vitam patris, & decretæ e Regno fugæ accusavit. His tamen, quibus literas commiserat, imperavit, ne Cæsari illas redderent, nisi prius illum a Nicolao Damasceno placatum sibi intelligerent. Syllæus enim Obodæ Arabum Regis minister Herodem apud Cæsarem accusaverat de irruptione in Arabiam cum valido exercitu facta, non sine ingenti Arabum cæde. Quare amariores ea de re literas Augustus dedit ad Herodem, cujus etiam Legatos, factum purgaturos, ab eo Romam missos, Princeps nunquam audire voluit. Sed Nicolaus Damascenus, junctus Arabibus, qui ad Syllæum accusandum venerant, ejusdem se accusatorem professus est apud Cæsarem, non Herodis defensorem, ne, sicut ante ceteri, repelleretur. Cumque multa ejus crimina patefecisset, addidit, Cæsarem quoque ejus mendaciis in Herodis causa circumventum. Quæ cum aperte probasset, Sillæum Cæsar damnatum in provinciam

remisit, ut postquam creditoribus fecisset satis, pœnas daret. Herodes vero favori Imperatoris restitutus, numquam deinceps excidit. Legati igitur Cæsarem placatum cognoscentes, obtulerunt ei literas continentes argumenta, quibus Herodes filios impietatis convicerat; quibus lectis, Augustus respondit, si filios in vitam patris quidquam tentasse constaret, posse morte puniri; secus, si decretæ tantummodo fugæ rei invenirentur: concilium in urbe Phænicum Berytho cogeret, vocato etiam Archelao Cappadocum Rege, ut quid agendum, decerneretur. Amicos igitur quos libuit, minime vero Archelaum, Berythum Herodes convocavit; conciliumque 150. virorum ingressus, absentes filios ardenti satis, minimeque paterna pietate digna, oratione accusavit, addens filiorum fatum non ab Augusto solum sibi permitti, verum & ab ipsis Hebræorum Legibus (*a*), quæ filium a parentibus accusatum, manu ipsi ab iisdem imposita, a populo lapidibus obruendum statuebant: velle tamen se aliorum sententias audire, quamquam pro certo haberet, ipsos in suam sententiam ituros, ut justæ severitatis, qua filii impii puniendi sunt, exemplum posteritati mandaretur (*b*).

Alexander & Aristobulus strangulantur.

X. Saturninus Consularis Concilii pro Romanis Præses & tres ipsius filii, Alexandrum & Aristobulum pœna quidem, sed non capitali mulctandos judicarunt. Volumnius tamen Pro-

(*a*) Deut. XXI. 18. 16. c. 17.
(*b*) Joseph. Antiq. l.

Procurator mortis reos esse pronuntiavit; cujus sententiam plerisque sequentibus, illorum mors suffragiorum numero decreta est. Eos igitur Herodes Tyrum duxit, quo veniens Nicolaus Damascenus, a Rege, quid amici de filiis sentirent rogatus, in custodiam dandos a plerisque censeri respondit, ut commodius de rei summa decernêretur. Herodes vero post diuturnam animi agitationem filios Cæsaream duxit. Hic vetus quidam Regis miles, Tiro dictus, Regem decretæ in filios mortis liberioribus verbis arguit; quem una cum 300. aliis, quos ejusdem cum ipso sententiæ fuisse ille indicaverat, Herodes jussit vinciri. Ea occasione Trypho tonsor Regis significavit, se non semel a Tirone sollicitatum, ut guttur ei novacula præcideret. Moxque tortus est & tonsor, & Tiro cum filio, qui videns patrem sævissime habitum, ut tormentis eriperet, intentatæ in Regem necis accusavit, præpostera sane misericordia motus. Hos omnes subito impetu populus necavit. Tandem Herodes Alexandrum & Aristobulum missos Sebastem, olim Samariam, strangulari jussit; quorum cadavera Alexandrium delata sunt, ubi & Majores eorum condebantur.

Antipatri in patrem insidiæ.

XI. Sublatis fratribus, Antipater de insidiis in patrem struendis, quo citius regnaret, præcideretque illi occasionem eligendi alium successorem, cogitavit. Conjurationem igitur cum Pherora molitus est, quibus mulieres regiæ, Pharisæorum Sectæ addictissimæ, accessere, Salome excepta, quæ fratri Herodi constanter

adhærebat. Porro Pharisæi genus hominum erat astutum, arrogans, & Regibus infestum; cumque tota Judæorum gens fidem suam Herodi, & Cæsari obligasset, hi soli sex millium numerum excedentes a sacramento abstinuerunt, quibus a Rege hoc nomine mulctatis, Pheroræ uxor pro eis mulctam persolvit. Cui reponentes gratiam, prædixerunt, Regnum ab Herode, ejusque progenie auferendum, transferendumque in illam, & maritum Pheroram, communesque liberos; nec his contenti, Aulicos quosdam sollicitarunt; corruperuntque. Herodes præcipuis hujus consilii auctoribus supplicio affectis, in amicorum concilio Pheroræ uxoris accusationem instituit; cumque feminam, quam deperibat, fratris gratia nollet dimittere, Herodes Antipatro quidem Pheroræ consuetudinem interdixit, Pheroram autem in transjordanica, ubi sita erat illius Tetrarchia, ablegavit; quo abiens Pheroras, numquam se rediturum, nisi cognita Herodis morte, juramento pollicitus est. Nec sane ab eo proposito dimoveri se, quamquam ab Herode gravi morbo correpto accitus, passus est. Herodes vero paria non rependit; cum enim ipse convaluisset, & Pheroras contra ad mortem ægrotaret, statim accurrens fraternæ benevolentiæ argumenta exhibuit apertissima. Quibus ille commotus, pixidem veneno plenam sibi ex Ægypto opera Antipatri in Herodis perniciem transmissam, igne absumeret, uxori præcepit. Defuncto solemni pompa Herodes parentavit: quibus peractis secretæ ipsius

cum

cum Antipatro in se conspirationis a Pheroræ vidua certior factus est. Accusabatur autem etiam Mariamnes Herodis uxor, quasi secretorum omnium particeps; quare & ipsam Rex abjecit, & filium ejus Herodem, qui & Philippus appellatus est, e testamento delevit. Quin Socero Simone a Sacerdotio amoto, Matthiam Theophili filium subrogavit. Porro novus Pontifex die Expiationis rem divinam facere non potuit, quod anteacta nocte, cum sibi per somnium cum uxore congredi videretur, aliquid passus fuisset. Itaque Joseph Ellemi filius adjutor vicarius, utpote cognatus, ei datus, ea die in Sanctum Sanctorum ingressus est. Antipater interea ut omnem a se suspicionem ac periculum amoveret, literas ab amicis Romæ commorantibus ad Herodem directas impetravit, quibus de mittendo Antipatro ad Imperatorem significaretur. Bona igitur Herodis venia Romam profectus est, ingentia secum munera deferens, ac patris testamentum, quo ipse Regni heres, aut si ipse vita prior excederet, Herodes, de quo modo loquebamur, instituebatur. Paulo post Herodes Batyllum Antipatri libertum venenum in sui necem Roma detulisse ad Pheroram, & Doridem deprehendit. Ex quibus malum in se filii animum clarius intelligens, literis ad illum scriptis, actutum in Judæam, de ejus absentia sollicitum se simulans, revocavit (*a*).

XII.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 17. c. 1. 2. 3. &c.

Anno Mundi 4000. anno Christi 1. ante Æram Vulgarem 4.

Christus nascitur. Oraculum Jacobi impletum. Herodis origo.

XII. Sub idem tempus Jesu Christi Salvatoris nostri ortus in Bethleem contigit; quem adoraturi Magi ex Orientalibus oris venientes, Herodem ingenti cura sollicitarunt, obvios quoscumque de loco, ubi natus mox Rex Judæorum versaretur, requirentes. Quare Herodis jussu consulti Sacerdotes, & Legis Doctores, quo scilicet in loco Christus nasceretur, Bethleem in Tribu Juda, juxta Michææ oraculum, designarunt. Tunc accitis ad se Magis de tempore exorti syderis, quo duce Hierosolymam venerant, illos sedulo interrogavit, omniaque edoctus, ut in Bethleem tenderent, significavit; optare se tamen dixit, ut inventum puerum reduces sibi detegerent. Subdola tamen illius consilia Angelus Dei fefellit; cujus monitu sibi per quietem visi altera via ad propria Magi remearunt. Quare Herodes illusum se a Magis sentiens, in rabiem actus, mares omnes a bimatu & infra, juxta tempus, quod a Magis subindicatum fuerat, in Bethleem, ejusque agro occidendos præcepit. Verum de Christi Nativitate, Magorumque Adoratione, ac Infantium cæde, cum ad Evangelii Historiam ventum fuerit, copiosior sermo redibit. Visum est enim Historiam Judæorum usque ad extremum illorum exterminium, ab Evangelica narratione dissociatam, in antecessum texere, ut res suo ordine distinctæ, proprio quodam fulgore niterent, alterique altera veluti quædam basis inserviret. Præstat interim observare, regnante in Judæa Herode impletum fuisse Jacobi

vati-

vaticinium: *Non auferetur sceptrum de Tribu Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*a*). Tunc enim regia potestas Judæis penitus ablata fuit. Herodes namque alienigena erat, tam paterno, quam materno genere, cum Antipater ipsius pater Idumæus esset (*b*), Cypron vero mater originem ex Arabia traheret (*c*). Non moror Harduini sententiam, Herodem scilicet Atheniensem retulisse originem, quod in quibusdam Nummis Athenarum Patronus appelletur; quæ sane ratio nimis infirma. Præterea Herodes nec postulato, nec expectato Judæorum consensu, sed puro putoque Romanorum arbitrio regnavit; eoque spectat constans illa resistentia Judæorum, quorum bene multi adduci numquam potuerunt ut in fidem Herodis jurarent (*d*).

XIII. Interim Antipater proditæ conjurationis ignarus, cujus rei ab amicis septem mensium spatio, quamdiu scilicet reditum distulit, nullum inditium acceperat, tandem in Judæam venit. Ut Cæsaream appulit, quod nemo sibi processisset, miratus est. Inde Hierosolymam tendens, primo in regias ædes, omnium amicorum consortio prohibitus est. Regem vero complexurus accurrens, objectis illi Alexandri, & Aristobuli cæde, simulque tentati parricidii crimine, rejectus est. Mane sequentis diei

Antipater in carcerem truditur.

(*a*) Gen.49.Vide hanc Histor. l. 2. c. 12. n. 4.

(*b*) Vide supra c. 13.

(*c*) Joseph. de Bello l. 1. c. 6.

(*d*) Antiq. l. 17. c. 3. n. 6.

diei coram Varo Syriæ Præside, qui Saturnino successerat, deductus, Herodem ipsum accusatorem habuit; productoque veneno, quod ipse in patrem paraverat, ac facto de illo experimento in reo morte damnato, qui illico extinctus corruit, cum tot indiciis proditus se purgare non posset, catenis oneratus in carcerem detrusus est. Interim Herodes de omnibus Cæsarem monuit, a quo dum responsa expectaret, in morbum incidit, cujus curandi gratia profectus est ultra Jordanem ad aquas Callirhoe. Sed cum prope esset ut animam efflaret, Jerichuntem regressus est, statimque Herodi Antipæ, natorum minimo, ex Cleopatra suscepto, in Regnum successio decreta est, aliis filiis Archelao, & Philippo ob Antipatri calumnias rejectis.

Insigne Judæ & Matthiæ facinus.

XIV. Falso deinde rumore de obitu Herodis evulgato, adolescentes nonnulli, auctoribus Juda, & Matthia Judæorum doctissimis, patriæque Legis longe peritis, pleno meridie Aquilam auream præ Templi foribus constitutam, quod a moribus Judæorum abhorreret, contrivere. Ejus facinoris auctores Herodes detineri, omnesque vivos comburi jussit. Matthiæ quoque Summo Sacerdoti ademit dignitatem, quasi non alieno ab hoc consilio, eique successorem dedit Mariamnes uxoris suæ fratrem Joazarum. Interim Herodis morbus in dies invalescebat; quamvis enim febris remissior videretur, lentus tamen, & intimus calor viscera depascebatur; ex quo sæva adeo fames languentem cruciabat, ut nullo cibo e-

jus

jus furor compesceretur. Intestina omnia ulceribus corrupta, venter irrequietis doloribus angebatur, pedes hydropisi tumebant, pudenda vermibus & sanie scatebant; ad hæc toto corpore scabies cum intolerabili pruritu accedebat.

Crudele Herodis præceptum.

XV. Parum a morte se distare cognoscens, Optimates ex universa Judæa ad se Jerichuntem accivit, necem minitatus, nisi paruissent. Cum omnes convenissent, in Circo concludi jussit, lacrymis & precibus a Salome sorore, & Alexa illius, post Costobari repudium, viro, fidem extorquens, omnes post obitum suum trucidandos, ut Judæi coactis fletibus per universam late regionem sibi parentare viderentur (*a*).

Anno Mundi 4001. ante Æra vulgarem 3.

Post occisum Antipatrum & conditum testamentum Herodes obit.

XVII. Sub hæc, acceptis ab Augusto literis, impetravit, ut si mallet, Antipatrum exilio, sive morte puniret. Hoc nuntio aliquantulum recreari visus est: verum paulo post recrudescente morbi vi, in ultimam desperationem adactus, cultrum, pomumque afferri sibi jussit, specie quasi corticem pomi illius detracturus, revera tamen mortem sibi inferre cogitans; intulissetque, nisi Achiab consobrinus ipsius ictum præveniens, clamore sublato cohibuisset ejus dexteram. Mox luctus cum trepidatione & tumultu omnia occupavit, quasi Rege jam agente animam; quem strepitum Antipater in carcere audiens, expirasse Herodem ratus, custodes suos etiam atque etiam rogavit, ut liber abire permitteretur.

(*a*) Joseph. Antiq. l. 12. c. 8. 9.

tur. His a carceris Præfecto ad Herodem delatis, Rex statim Antipatrum occidendum præcepit; cujus cadaver nulla funebri pompa elatum in arce Hircanio sepulturæ mandatum est. Novis autem confectis tabulis Regnum Archelao destinavit, modo Cæsaris consensus accederet. Gaulanitidem vero, Trachonitidem, & Batanæam Philippo, Galilæam tandem, & Peræam Herodi Antipæ, quem prioribus tabulis successorem designaverat. Jamniam autem, Azotum, Phasaelida, & argenti signati quingenta millia Salomæ sorori suæ attribuit. Habita est & ceterorum cognatorum ratio. Cæsari quoque legavit argenti signati centies centena millia, & vasa præterea sua tam aurea, quam argentea, magnumque vestis pretiosæ numerum. Liviæ autem, quam Juliam Josephus vocat, (facile quod in familiam Juliam Augustus illius maritus adoptaverat,) & quibusdam amicis quinquagies centena millia (*a*). His ita ordinatis, quinta die post Antipatri necem vita cessit Herodes annos natus 70. circiter, post exactos in Regno 37. ab obtenta a Romanis dignitate, & 34. a recepta post mortem Antigoni Judæa. Notat autem Josephus, paulo antequam Herodes occumberet Lunæ defectum accidisse (*b*). Porro geminæ Lunæ eclipses Hierosolymis accidere anno quadragesimo primo Augusti, quo Herodis mortem contigisse, multorum Chronologorum sententiam secuti, convenimus; altera die

(*a*) Joseph. Antiq. l. 17. c. 10.
(*b*) Joseph. Antiq. l. 17. c. 7.

die 12. Martii, altera die quinta Septembris. Hinc Scriptorum discrepantia circa Herodianæ mortis tempus orta est (*a*).

XVIII. Sublato Herode prius quam mors illius innotesceret, Salome, ejusque vir Alexa, Judæos in Circo clausos, in libertatem assertos, quasi Herodes ita præcepisset, ad propria remiserant. Indicata deinde Regis morte, lectum est illius testamentum; & quamvis in eo expectandum Augusti consensum caveretur, nihil tamen cunctatum est, quin statim Archelaus in Regem salutaretur, ejusque nomini totus exercitus juraret. Magna deinde pompa elatum est Herodis cadaver. Ferebatur autem in lectica aurea gemmis distincta, & purpura instrata, corpus quoque amictum erat purpura, imposito capiti diademate, & desuper corona aurea, sceptroque in manu dextera. Lecticam stipabant filii, & cognatorum numerus. Hos sequebantur milites, primum satellites, deinde Thraces, post hos Germani, omnes veluti ad prælium instructi; reliqua deinde exercitus multitudo armata, quam sequebantur quingenti famuli aromata ferentes. Ea pompa Herodium usque processit, ubi juxta ac Herodes præceperat, sepulturæ mandatum est.

Archelaus salutatur Rex, & Herodi parentat.

XIX. Quamvis autem Herodes originem suam non traxerit ex Judæis, sed ex Idumæis, Judaicam tamen Religionem professus est, non minus ac ceteri Idumæi, postquam ab Hircano ad id compulsi sunt. Judæorum au-

Herodis religio minime sincera.

(*a*) Vide hanc Histor. l. 11. c. 5. n. 3.

autem a carnibus suillis abstinentiam, Herodi quoque sanctam, respiciens Augustus, cum audisset inter pueros, quos Herodes intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus (Antipatrum credimus) occisum, ait: *Melius est porcum Herodis esse, quam filium* (*a*). Non tamen Herodes Religioni plurimum studuit, ambitionem tantum, malamque honorum cupiditatem colere, etiam Religionis dispendio, assuetus. Quin & in rebus ad Dei gloriam susceptis, ipse suæ potius gloriæ, quam divini honoris monumenta erigere conabatur. His de causis vir alioquin origine alienus, moribusque efferatus, numquam Judæorum animos sibi devincire potuit.

Herodis progenies. XX. Exponenda hic Herodis progenies (*b*). Decem habuit uxores, quarum prima est Doris ab eo adhuc privato ducta, quæ illi peperit Antipatrum filiorum ipsius natu maximum, jussu Regis paulo ante obitum suum interfectum.

Successit Mariamne, Hircani filia; quo ex connubio nati sunt Alexander & Aristobulus, in urbe Sebaste strangulati; Herodes etiam, qui immatura adhuc ætate, Romæ studiis vacans, decessit; geminæ tandem puellæ, Salampso, quæ Pheroræ desponsa, Phasaelo nupsit; & Cypros, quæ Antipatrum Salomes, sororis Magni Herodis, filium virum habuit. Alexander ex Glaphyra uxore sua suscepit Tigranem Armeniæ Regem, & Alexandrum, qui

(*a*) Macrob. l. 2. Saturn. c. 4.

(*b*) Joseph. de Bello l. 1. c. 18.

qui Antiochi Comagenorum Regis filiam duxit. De Aristobuli filiis postea.

Priorem Mariamnem excepit altera Mariamne, filia Simonis summi Sacerdotis, ex qua Herodes, alio nomine Philippus (*a*), qui secundo loco post Antipatrum Regni heres a patre constitutus fuerat; sed ejus nomen erasum est, ubi patuit, matrem ipsius insidiarum Antipatri consciam fuisse (*b*). Hic duxit Herodiadem, ex eaque genuit Salomem Saltatricem, cujus precibus caput S. Joannis Baptistæ concessum fuit (*c*).

Quarta uxor Malthace Samaritana, unde Archelaus Rex, & Herodes Antipas, quem licet prioribus tabulis Regem pater designasset (*d*), posterioribus tamen Galilææ & Perææ dumtaxat Tetrarcham constituit. Hic primo Aretæ Arabum Regis filiam duxit, deinde incestas nuptias cum Herodiade celebravit. Christo etiam tempore passionis illusit.

Quinta, Cleopatra Jerosolymitana, mater Herodis & Philippi, cui Tetrarchia Gaulonitidis, Trachonitidis, Basanææ, & Paneadis cessit, habuitque uxorem Salomem Saltatricem, ex qua nullos suscepit filios.

Sexta uxor Pallas, unde natus Phasaelus; septima Phædra, mater Roxanis; octavam Elpis, ex qua Salomes. Sed hæ, sicut & ge-

(*a*) Marc. VI. 17. Joseph. Gorionid. & alii Judæi.

(*b*) Vide supra n. 11.

(*c*) Vide hanc Histor. l. 11. c. 7. n. 7.

(*d*) Ibid. n. 17.

minæ aliæ Herodis uxores ignoti nominis, quarum altera erat ipsius nepos, altera consobrina, utraque improlis, nihil habent cum nostra historia.

Aristobuli progenies. XXI. Aristobulus Herodis ex Mariamne Assamonæa filius genuit Agrippam, Herodem, & Herodiadem, præter Aristobulum Jotapes Regis Emesæ filiæ virum, & Mariamnem Antipatri patrui sui uxorem. Agrippam, alio nomine Herodes, in carcerem actus fuit a Tiberio; sed inde a Caligula eductus Judææ Regnum obtinuit. Ejus jussu necem subiit S. Jacobus, & carcerem S. Petrus. Obiens Cæsareæ, ut referunt Apostolorum Acta (*a*), filium reliquit Agrippam, & filias Berenicem, Mariamnem, & Drusillam.

Herodes, alter Aristobuli filius, in Chalcide regnavit, & post fratris Agrippæ obitum obtinuit jus sacra summi Sacerdotis ornamenta custodiendi, eligendique ad arbitrium, qui sacræ dignitati præesset. Filium habuit Aristobulum, qui minorem Armeniam a Nerone impetravit, quemve secundis nuptiis duxit Salome saltatrix.

Agrippa filius prioris Agrippæ, primo quidem regnavit in Chalcide, deinde ad Tetrarchiam Galilææ in locum Philippi patrui sui promotus fuit. Coram illo ejusque sorore Berenice, ac Felice, qui conjugium inierat cum Drusilla altera Agrippæ filia, causam suam Paulus dixit.

Herodias Aristobuli filia infamis est ex ince-

(*a*) Acta XII. 22.

cesto conjugio cum Antipa, cujus thorum vivo adhuc Philippo viro suo, & ipsius Antipæ fratre, ascendit. E prioribus nuptiis tulit Salomem Saltatricem, quæ cum nullam suscepisset prolem ex Philippo Batanææ & Traconitidis Tetrarcha, alterum sibi virum conciliavit, Aristobulum scilicet Patruelem, Herodis Regis Chalcidis filium, unde liberos plures genuit.

Drusilla primo Azizi Emesæ Regi, tum Felici Judææ Præsidi nupsit. Ex hac Agrippa, qui in Vesuvii incendio cum conjuge absumptus est. Porro tam copiosa proles, exceptis paucis, intra centum annorum spatium deleta est, Deo, ut notat etiam Josephus, de Herodis impietate pœnas exigente (*a*).

Archelai Principatus. Herodiani Regni per Augustum divisio. Alexander impostor. Judæorum tumultus. Amoto Archelao Judæa per Procuratores administratur. Pontificum successio. Augusto succedit Tiberius. Cæremoniæ Judæorum & Ægyptiorum Romæ interdicuntur. Pilatus, Philippus, Antipas.

Anno Mundi 4001. ante Æram Vulgarem 3.

C A P. V.

Exordia Archelai inquieta. Romam petit, ut ab Augusto in Regno confirmetur.

I. Archelaus post curatum patris funus, traditumque ipsius cadaver sepulturæ, Hierusalem venit, ac luctum, juxta morem, septem diebus celebravit; quo absoluto, sumptuoso convivio populum excepit. Sub hæc co-

(*b*) Joseph. Antiq. l. 18. c. 8.

coram omnibus concionem habuit in Templo, in qua magna de se pollicitus est, simulque a Regis titulo se usque ad assensum Imperatoris abstenturum promisit. Hæc subsecutus est Populi murmur, ad mortem deposcentis eos, quos Herodes consiliarios adhibuerat damnandis viris illis religiosis, qui Aquilam auream præ Templi foribus collocatam removerant; clamabant insuper, ut Joazar Sacerdotio expoliaretur; ac tandem defuncti Regis memoriam maledictis proscindebant. Archelaus placida oratione seditionem compescere tentavit; ubi vero operam perdere vidit, equitum manum sub Festum Paschatis immisit, a quibus 300. juxta Templum trucidati sunt. Deinde Cæsarea solvens, Romam se contulit, negotium suum pro Judææ Regno, quod Philippo fratri administrandum reliquit, acturus; quo etiam Herodes Antipas de eadem re disceptaturus accessit, prius Herodis testamentum posteriori, tanquam scripto a Rege mentis jam amotæ, præferendum contendens. Utriusque causam facundissimi Oratores coram Augusto egerunt, cujus deinde genibus provolutus Archelaus, ab eodem comiter relevatus est, ac bono esse animo jussus. Interea Legati Judæorum Romam venerunt, petentes, ut liceret Hebræis suis Legibus vivere; ac pulsis Regibus in ditionem Romanorum sub Præside Syriæ provincia redigeretur. Una cum Legatis venerat & Philippus, eo missus a Varo Syriæ Præside, ut Archelai fratris, suisque rebus prospiceret. Cæsar omnibus auditis, tam quæ ipsi pro se,

quam

quam quæ contra illos Archelaus afferret, re infecta, cœtum dimisit (*a*).

II. Post aliquos dies Augustus accersito Archelao dimidium tantum Regnum, Judæam scilicet, Idumæam, & Samariam, titulumque Ethnarchæ, non vero Regis, concessit; reliqua simul, & Regis titulum in posterum se concessurum spondens, si tantæ dignitati parem se virtutibus exhibuisset. Redditus ipsius 600. talentis æstimabantur. Antipæ vero Galilææ & Perææ Tetrarchiæ, 200. talentorum redditus inferentes, permissæ sunt. Philippo tandem Bathanea, Trachonitis, & Auranitis cum parte quadam Zenodori ditionis, 100. talenta afferentes, assignata. Solome autem præter ea, quæ illi ab Herode fratre legata fuerant, Cæsar addidit in Ascalone Palatium; percipiebatque ex subjectis sibi locis 60. talenta, habitans in ditione Archelai. Totum denique Herodis legatum 1500. talentis æstimatum Augustus illius filiis, filiabusque distribuit, paucis tantum vasis sibi retentis, non tam ob pretium caris, quam ob amici memoriam. *Augusti dispositio.*

III. Quidam Alexander, Alexandro Herodis filio necato, adeo similis per id temporis vixit, ut se eumdem a morte una cum Aristobulo fratre, cujusdam amici beneficio ereptum, aliis ipsorum loco suppositis, pluribus se se vendiderit. Hic Romam venit, Regnum petiturus ab Augusto, qui impostorem ex manibus labore occallentibus agnovit. *Alexander impostor.*

 Ipsum

(*a*) Joseph. Antiq. l. 17. c. 10. & 11.

Ipsum igitur, quid de fratre Aristobulo, & cur Romam fortunæ ipsius particeps minime venisset, Cæsar interrogavit. Qui in insula Cypro remansisse, respondit, ne maris periculo ambo exponerentur, utque si alter periret, alter superesset. Tunc Augustus vultu ad gravitatem composito, juvenem sevocans: si veritatem, ait, revelabis, te vivere permittam. Dic ergo quis sis, quisve ad hoc te impulit? Exposito dolo, Augustus, ut promissis staret ad triremes illum damnavit; doli vero auctorem, quem ipse manifestaverat, supplicio affecit (*a*).

Tumultus in Judæa. IV. Interim Sabino, Augusti Procuratori, in arces Hierosolymæ & regium Ærarium manum injicere tentanti, populus restitit. Consertis igitur utrinque manibus, certatum est, donec affectis clade Judæis igne foribus sacri Ærarii, Templique porticibus per Romanos subjecto, 400. talenta Sabino, cetera reliquorum direptioni patuerunt. His populus in majorem iram percitus, Sabinum in regio Palatio obsedit, præsentissimo sane ejus periculo, nisi a Varo Syriæ Præfecto liberatus fuisset. Alibi quoque per Judæam diversis in locis tumultus exoriebantur. Judas Ezechiæ filius, apud Sephorim Galilææ urbem, collecta desperatorum manu, adspirans ad Regnum, regionem incursabat, & obvios quoscumque expoliabat. Simon etiam quidam Herodis servus, forma tamen, statura, & robore insignis, ausus est diadema sumere, atque a diripienda, incenden-

(*a*) Antiq. l. 17. c. 14.

dendaque Jerichuntina Regia poteſtatem ſuam auſpicatus eſt. Athronges quoque, paſtor hactenus obſcuriſſimus, vaſto tantum corpore, & prompta manu conſpicuus, regiam dignitatem aſſumpſit, uſuque quatuor fratribus ſibi per omnia ſimilibus, Romanos æque ac Archelai milites cædibus vexavit. Sed hi omnes deleti ſunt (*a*).

Archelaus in Judæā regreſſus.

V. Archelaus in Judæam regreſſus ſummo Sacerdotio Joazarum removit, ipſum promotæ contra ſe ſeditionis accuſans, quam dignitatem Eleazaro ejus fratri conceſſit. Nec Eleazarus diu Sacerdotio potitus eſt, ſubrogato in viventis locum Jeſu Siæ filio. Reſtaurandæ Regiæ Jerichuntinæ, a Simone incenſæ, manum admovit Archelaus, qui & oppidum ibi cognomine ædificavit, amotaque a thoro Mariamne uxore, Glaphyram, Alexandro fratri ſuo olim nuptam, adſcivit, quæ poſt necatum virum ſuum priorem Jubæ Mauritaniæ Regi a Patre ſuo Archelao Cappadociæ Rege ſecundis nuptiis juncta fuerat. Addit Joſephus, Alexandrum Glaphyræ per quietem viſum, ipſam, quod ſui amorem ex animo deleverit, nec ſecundis nuptiis contenta, ad tertias tranſierit, redarguiſſe. Ut autem ſe priſtini amoris non oblitam oſtenderet, illam ab eo opprobrio brevi liberaturum, ſibique ſuam vindicaturum. Et plane poſt paucos dies Glaphyram obiiſſe (*b*).

ANNO MUNDI 4009. Æræ Vulgaris 6.

VI. Cum Archelaus Regnum violenter adminiſtraret, tandem Judæorum, & Samarita-

P 4 no-

(*a*) Antiq. l. 17. c. 12. (*b*) Antiq. l. 17. c. 15.

Amoto a Judæa Archelao, Provincia per Procuratores administratur.

norum Optimates ad eum deferendum coram Augusto Romam venerunt. Quibus auditis, Imperator Ministrum Archelai Romæ agentem accivit, jussitque, ut in Judæam regressus, nomine suo Archelao renuntiaret, ut Romam quantocyus veniret. Paruit illico Archelaus: sed cum causam suam defendere non posset, ejus patrimonio, & thesauris fisco adjudicatis, Viennam Galliæ exulare coactus est, anno sui Principatus decimo, eoque in exilio, incertum quo anno, diem clausit. Pulso Archelao, ipsius ditio in Provinciam redacta, cœpit habere suos Præfectos ab Imperatoribus missos, Præsidibusque Syriæ subjectos, quorum nomina, & regiminis tempus hic exhibemus.

Judææ Procuratores.

VII. Coponius præfuit quatuor annis.
M. Ambivius triennio circiter.
Annius Rufus, anno, vel biennio.
Valerius Gratus, undecim annis.
Pontius Pilatus decem annis.

Marcellus quinto circiter sui regiminis anno, Agrippæ Provinciam dimisit. Claudius enim Imperator nedum Agrippam in Regno ipsi a Cajo collato, quod Antipæ, Philippi, & Lysaniæ Tetrarchiis constabat, confirmavit, sed auxit etiam Judæa, & Samaria, ut totum magni Herodis avi sui Regnum possideret. Eo tamen vita functo, Judæa iterum in Provinciam a Claudio redacta, Cuspio Fado, sub Procuratoris titulo regenda commissa est. Porro Agrippa regnavit in Judæa triennio.

Cus-

Cuspius Fadus biennio Provinciam administrat.

Tiberius Alexander, biennio.

Ventidius Cumanus, quatuor annis.

Felix, Claudii Libertus, octo annis.

Porcius Festus, biennio.

Albinus, biennio.

Cassius Florus omnium postremus, eamdem Præfecturam biennio tenuit. Quid de illo factum sit ab anno 4069. quo seditio Judæorum cœpit, prorsus latet. Hierosolymorum excidium ad annum 4074. consignatur, qui Æræ vulgaris est 71.

Quirinio censum agenti Judas obsistit.

VIII. Archelai ditione in provinciæ formam redacta, & Syriæ attributa, Quintilii Vari Syriæ Præsidis successor, Cyrenius, sive Cyrinus, qui & Quirinius, Augusti jussu, in Judæam venit, ut in ea censum ageret, Judæorum facultates æstimaret, Archelai domum venderet, & pecunias ejus in Cæsaris potestatem redigeret. Quid de censu, decem ante annos acto, cujus causa S. Josephus una cum B. Virgine Bethleem venit, sentiendum sit, alibi habes explicatum (*a*). Quirinio Judææ descriptionem aggresso Judas Gaulanites una cum Saddoco ex Pharisæorum Secta impavide restitit, sollicitansque ad defectionem populum, dictitabat, censum nihil aliud esse quam manifestam servitutis professionem; Judæos vero liberos esse, & ab eis neminem Dominum præter Deum habendum docebat. Ejus sectatores adeo libertatis amore flagrabant,

(*a*) Vide hanc Histor. l. 11. c. 3. n. 1.

bant, ut quælibet supplicia ferre mallent, quam a proposito resilire. Ex his orti sunt Sicarii, & Zelotæ, qui tribus Judæorum sectis, Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum, quartam addiderunt; quique defectionis semina undique dispergentes, extremum denique Judæis excidium intulere. Quo genere mortis, & quo tempore obierit Judas, ignoratur (*a*).

Joazaro summo Pontifici Ananus sufficitur.

IX. Joazarum, qui auctoritate sua censum fovebat; Romani in pristinam summi Sacerdotii dignitatem asseruerunt. Deinde vero, cum mota esset in ipsum seditio, Quirinius privavit eum Sacerdotio, & Ananum Sethi filium substituit. Porro Ananus omnium Sacerdotum felicissimus habitus fuit (*b*), siquidem ipse compluribus annis summus Sacerdos, quinque filios eadem dignitate fulgentes habuit, quod nemini contigit. Ad ipsum Christus tempore suæ Passionis adductus est.

Samaritanorum insolentia.

X. Simul cum Quirinio in Judæam venit Coponius, vir equestris ordinis, provinciæ Procurator ab Augusto datus; quo res administrante, cum Sacerdotes tempore paschali post mediam noctem Templi januas aperuissent, Samaritani quidam clam ingressi, mortuorum ossa per totum Templum sparserunt; quo factum est, ut deinceps sacræ Ædi custodiendæ magis magisque invigilaverint. Quo tempore Ambivius Coponii successor Judæam regebat, Solome Herodis soror vita decedens, Liviæ Augustæ toparchiam suam reliquit (*c*).

XI.

(*a*) Antiq. l. 18. c. 1. & 2.

(*b*) Ibid. l. 20. c. 8.

(*c*) Antiq. l. 18. c. 3.

XI. Ambivium excepit Annius Rufus. Tunc fatis functo Augusto anno principatus sui a Cæsaris nece 57. cum dimidio, ætatis vero 77. Tiberius filius Liviæ uxoris Augusti, quem ex Tiberio Nerone viro suo priore femina illa susceperat, & Augustus in suam familiam adoptarat, Imperium moderari cœpit. Anno autem illius Imperii sexto Ægyptiarum, & Judaicarum cæremoniarum exercitium Romæ interdictum est, factumque Senatusconsultum, ut qui iis uterentur, cederent Italia, si fides Tacito, vel saltem Roma, si Josephum, & Philonem audiamus. Ægyptiacæ superstitioni amovendæ occasionem præbuit Decius Mundus, qui pecunia corruptis Ægyptiis Sacerdotibus, Anubidis personam simulans, Paulinam clarissimam feminam Romanam in ipso Isidis Templo stupravit: quo flagitio patefacto, Tiberius Isidis Templum dirui, ejusque statuam in Tiberim mergi jussit (*a*). Judaicæ vero persecutionis auctorem, molitoremque fuisse Sejanum Philo testatur (*b*); iniqua enim versans consilia, de Judæorum fidelitate metuebat. Josephus tamen ejus indicendæ invidiam in quatuor Judæorum avaritiam refundit; qui Romæ Judaicam Religionem docentes, Fulviam quamdam Matronam Romanam in suam sententiam adductam persuaserunt, ut ditissima munera sibi committeret, specie quidem, quasi ad Templum Hierosolymitanum deferenda, quæ tamen in suum commodum verterunt. Ex proscriptis nihilominus Judæis delectu

ANNO MUNDI 4017. Æræ Vulgaris 14.

Augusto succedit Tiberius. Romæ Ægyptiorum, & Judæorum cæremoniæ interdicuntur.

(*a*) Ibid. c. 4. (*b*) Phil. de Legat.

lectu habito, quatuor millia in Sardiniam coercendis prædonibus missa sunt, plurimis, qui Patria Religione militiæ sacramentum detrectabant, gravissima pœna affectis.

Caiphas summus Pontifex.

XII. Secundum hæc, Valerius Gratus, amoto Anano, summum Sacerdotium, primum in Ismaelem, filium Phebi, deinde in Eleazarum filium Anani, tandem in Simeonem filium Camithi, transtulit. Horum Sacerdotium brevissimum fuit; nam anno 4029. idem Judææ Præses dignitate illa Josephum, cognomine Caipham, ornavit. Porro Caiphas sacris novennio præfuit. Uxorem habuit Anani filiam, qua facile de causa Sacerdotii administrandi curas Caiphas Socero communicavit. Scimus enim ex Evangelistis, Joanne Baptista prædicante, & Jesu Christo patiente, ambos illos Sacerdotio functos fuisse.

ANNO MUNDI 4029. Æræ Vulgaris 26.

Pilati ingenium, cui Judæi obsistunt.

XIII. Post Gratum, Provinciæ a Tiberio præficitur Pilatus, quem Philo ita depingit, ut exhibeat Judicem pretio vendentem justitiam (*a*). Prosequitur rapinas ejus, cædes, tormenta insontium, sævitiem, ac tandem ea, quæ nulla servata judiciali forma præstabat. Sed nihil magis Pilati memoriam posteritati commendavit, licet funestam, & detestandam, quam mors ab eo in Jesum Christum decreta. Cum Cæsaream venisset, exercitum suum Hierosolymam mittens, inferre in urbem jussit signa, Imperatorum imaginibus picta, noctu tamen, ac velata, morem, & Religionem Judæorum doctus. Mane re detecta, Judæi omnes,

(*a*) Phil. de Legat.

mnes, etiam ex agro concursum in urbem facere, ac deinde turmatim Cæsaream ad Pilatum supplices convenire, orantes, ut imagines tolleret. Recusante Pilato, populus quinque solidis diebus, ac totidem noctibus supplex permansit, neque recessurus videbatur. Quare sexta die, erecto Tribunali in foro Cæsareæ, Præses acciri jussit Hebræos, quasi responsum illis daturus; sed dispositis circum militibus, populum medium excepit, atque, nisi recederet, cædem minitatus est. Tunc Judæi prono in terram vultu, colla omnes præbere, quasi mortem exposcerent. Tantam virtutem admiratus, imagines Cesareæ reduci jussit. Post hæc Pilatus aureum clypeum Tiberio dedicandi in Palatio Herodis Hierosolymis negotium suscepit. Ea de re iterum commoti Judæi, instanter rogarunt, sive monumentum illud tolleret, sive Imperatorem idipsum postulari permitteret. Scriptis igitur ad Tiberium literis, rescriptum est ab eo, ut statim Clypeus removeretur (*a*).

Populi seditio a Pilato compressa.

XIV. Successu temporis aquarum rivos Hierosolymam deducere per aquæductus aggressus est Pilatus. Porro aquæ ille 200. circiter stadiis ab urbe repetendæ erant, quare ad tantum opus perficiendum, pecuniam ex Ærario sacro extraxit. Ea res populi seditionem concitavit; quam cum extinguere vellet Pilatus, milites quamplurimos ementitis vestibus populo admiscere curavit. Coactus deinde ad concionem populus, cum is clamoribus verbisque pro-

(*a*) Antiq. l. 18. c. 3. & 4.

procacibus furere cœpiſſet, milites ſtatim obvios quoſcumque cædere ac vulnerare cœperunt. Hinc ſeditio quievit.

ANNO MUNDI 4037. Æræ Vulgaris 34. *Herodis Philippi æquitas & obitus.*

XV. Herodes Philippus, & Herodes Antipas, Magni Herodis filii, ſuæ quiſque Tetrarchiæ res ordinarat. Philippus Paneadem ad fontes Jordanis ædificiis auctam de Cæſaris nomine Cæſaream dixit. Vico etiam Bethſaidæ Urbis ſpeciem addidit, quem Juliæ Cæſaris filiæ cognominem eſſe voluit. Vir erat modeſtus & quietis amator. Cum domo progrederetur, iter faciebat cum paucis ſelectiſque comitibus, ſubſequente ſella, in qua ſolitus erat jura reddere; & ſi quis ex occurſu opem ejus invocaret, ſine dilatione mox ibi ſella poſita reſidens cauſam cognoſcebat. Anno Tiberii Principatus vigeſimo diem clauſit, Præfecturæ ſuæ trigeſimo ſeptimo. Cum autem ſine liberis deceſſiſſet, ditionem ejus Tiberius provinciæ Syriæ attribuit (*a*).

Herodis Antipæ intemperantia & impietas.

XVI. Herodes pariter Antipas Sephorim novis cinctam menibus totius Galileæ caput & defenſaculum conſtituit. Aliud oppidum, quod olim Betaramphtha dicebatur, communitum, nomine mutato Juliadem ab Livia, Julia quoque dicta, Auguſti uxore, appellavit. Tiberiadem etiam in honorem Tiberii in ripa occidentali lacus, ſive maris Genezareth condidit. Hinc lacus Tiberiadis dictus eſt. Hujus tamen Principis memoria peſſime audit. Cum forte Romam proficiſcens, ad Philippum fratrem ſuum, alterum tamen ab eo, quem modo

(*a*) Antiq. l. 18. c. 6.

do commemoravimus (*a*), venisset, visam Herodiadem illius, uxorem perditissime deperiit; quare ad ineundum secum nuptias sollicitatam, illico suis votis obsequentem habuit, ea tamen conditione, ut ductam diu antea filiam Aretæ Arabiæ Regis repudiaret. Igitur Herodes Roma regressus, impleta conditione, optatas nuptias celebravit. Ejus criminis atrocitatem S. Joannes Baptista acribus adeo verbis redarguit, ut Herodias illorum vim acerrime ferens, necem Sanctissimi Viri, eo eventu, quem alibi referam, moliretur (*b*). Aretas injuriam filiæ suæ ab Herode repudiatæ ulturus, sumpta occasione cujusdam controversiæ pro limitibus Gamalæ, indicto in Herodem bello, ac prælio commisso, fractum fugavit; quam quidem cladem in ultionem necis Joannis Baptistæ contigisse, vulgo a Judæis creditum est, ut testatur Josephus (*c*).

Anno Mundi 4038. Æræ Vulgaris 35. *L. Vitellii in Judæos beneficentia.*

XVII. L. Vitellius Syriæ Præfecturam jussu Tiberii suscepit. Cum occasione Festi paschalis Hierosolymam venisset, solemni pompa exceptus, ut gratiam referret, urbem a tributis fructuum, qui vendebantur, levavit. Custodiam etiam vestium, atque ornamentorum pontificalium, quam sibi ad id usque Herodes, & Romani in Arce Antonia reservaverant, populo remisit. Amoto tandem Caipha a summo Sacerdotio, Jonatham filium Anani substituit, atque Antiochiam, ubi solita Præsidum sedes, reversus est.

XVIII.

(*a*) Vide supra c. 15. l. 11. c. 12. n. 1. n. 20.

(*b*) Vide hanc Histor.

(*c*) Antiq. l. 18. c. 7.

Pilatus exauctoratur. XVIII. Impostor quidam frequentem Samaritanorum turbam colligens, illis se pretiosissima vasa a Moyse in monte Garizim condita revelaturum pollicitus est. Spe illecti, arreptis armis, omnes ad vicum Tiratabatam conveniunt. Pilatus re audita, fastigio suis copiis occupato, inde in Samaritanos impetum fecit; quos, pluribus occisis, fudit, captosque seditionis auctores capite damnavit. Acres ea de re Samaritani coram Vitellio Syriæ Præside instituerunt querelas, obtendentes, coactas ad Tiratabatam copias, non seditionis excitandæ, sed violentiæ Pilati retundendæ, consilio. His auditis, Vitellius misso viro sibi amicissimo Marcello, qui provinciam administraret, Pilatum actutum causam suam coram Imperatore dicturum Romam ire præcepit. Pilatus igitur ultimo Tiberii anno præfectura Judææ axauctoratus est; Romam tamen nonnisi post Imperatoris mortem pervenit. Quem deinde exitum causa ejus habuerit, ignoramus. Viennæ tamen in Delphinatu exulantem, in eas angustias redactum fuisse, ut necem sibi conscisceret, narrat Eusebius, idque se accepisse testatur ex Scriptoribus, qui Romanam historiam per Olimpiades digesserunt, scilicet, uti quidem videtur, ex Phlegonte, Adriani Liberto (a).

Agrip-

(a) Antiq. l. 18. c. 5. Euseb. l. 2. c 7.

Agrippa e carcere ad thronum evehitur. Insigne ipsius ludibrium. Antipæ infortunium. Cajus Divinitatem sibi tribuit. Alexandrinorum ad Cajum Legatio. Philo. Therapeutæ. Asinæus & Anilæus. Helena Regina. Claudii in Judæos beneficentia. Doritarum audacia. Agrippæ mors.

CAP. VI.

I. PAulo post Philippi Tetrarchæ obitum, Herodes Agrippa Aristobuli filius, & Magni Herodis nepos, fortunam suam in melius mutavit; cujus gesta altius sunt repetenda. Romæ degens familiaritatem Drusi, Tiberii Imperatoris filii, nactus est; cumque natura esset liberalis & magnanimus, redactus, ad inopiam, non potuit amplius Romæ vivere, quando & Tiberius amisso filio vetuit amicos ejus in conspectum suum venire, ne crudesceret per eos defuncti desiderium. His de causis in Judæam regressus, Hierusalem devitans, cum debitam natalibus suis majestatem servare non posset, Malatham in Idumæa concessit, ubi privatam potius quam regiam vitam agebat. Herodes Tetrarcha illius patruus, qui Herodiadi ipsius sorori nupserat, illum aliquandiu satis splendide juvit, Tiberiadis Magistratu, & certa pecunia illi collata. At cum largis Agrippæ sumptibus hæc satis non essent, Herodes manum retraxit, ipsumque nullius œconomiæ redarguit; quibus iratus Agrippa,

Rex ab Agrippa ante Principatum gesta.

Judæam relinquere, & Romam redire decrevit. Sed cum deesset pecunia, jussit Marsyam suum Libertum, ut quavis arte a feneratoribus eam sumeret. Igitur ingentis æris alieni obstrictus, mari se committere parabat. Id ubi Herennius Capito Jamniæ Procurator comperit, eo milites misit exacturos argenti trecenta millia, quorum debitor Cæsaris fisco factus fuerat, dum adhuc Romæ ageret. Sed cum nox primum terris incubuit, præcisis navis retinaculis Alexandriam iter direxit. Ibi ab Alexandro Alabarcha mutuo ducenta argenti millia obtinuit. Postquam Puteolos Agrippa pervenisset, scripsit ad Tiberium Capreis degentem, potestatem accedendi postulans. Tiberius humanissime se illum libenter visurum, respondit. Nec minori alacritate præsentem accepit & amplexu, & hospitio. Postridie Cæsar lectis Herennii literis, quibus Agrippam 300000. mutuo sumptis, nec ad constitutum tempus persolutis, gravatum diffugisse admonebatur, adeo in illum exarsit, ut cubiculariis mandarit, non prius admitti hominem, quam persoluto debito. Nil deterritus Agrippa, ab Antonia Drusi uxore, Germanici, & Claudii postea Principis matre, illa trecenta millia mutuo petiit obtinuitque. Ita Agrippa hoc negotio exsolutus, Tiberii favorem rursus iniit, adeo ut Tiberium nepotem suum, ex Druso filio jam præmortuo, illi commendaret, mandaretque, ut semper comitaretur. Verum Agrippa alterum Tiberii nepotem Cajum Caligulam, Germanici, Tiberii

berii fratris filium, prætulit, ac si futurum Caji, tum temporis ob parentis memoriam omnibus acceptissimi, Principatum præsensisset. Erat forte ibi Allus Samarita Cæsaris Libertus, a quo mutuatus decies centena millia, debitum Antoniæ reddidit; reliquum materiam habuit demerendi Cajum officiosius (a).

II. Quadam die cum ambo in eadem lectica essent Agrippa apprecatus est Tiberio, ut quam primum Principatus locum Cajo digniori cederet. His forte auditis Eutychus Libertus Agrippæ & Auriga, aliquandiu tacuit. Quamdam vero offensionis ab Agrippa occasionem nactus, Imperatorem alloqui postulavit, quod magni momenti res illi deferendas haberet. Quapropter vinctus missus est Capreas, ubi tamen a Tiberio audiri non potuit. Post multum vero temporis Arippa, mali animi, quem Eutychus gerebat, prorsus ignarus, officiis suis, interpositaque etiam Antoniæ auctoritate, Tiberii a Capreis reversi, & Tusculi tunc versantis, tardum de more ingenium persuasit, ut Eutychum tandem accerseret, & audiret. Malo tamen suo, nam Cæsar auditis, quæ Eutychus de Agrippa detulit, statim illum vinculis constringi jussit; veniamque frustra deprecantem prætoriani, ita ut erat paludatum, ad carcerem adduxerunt. Præfectus tamen, cui illius custodia erat demandata, Agrippæ aliquam, agente Antonia, rationem habuit. Mortuo post sex menses Tiberio, anno principatus sui vigesimo tertio,

ANNO MUNDI 4040. Æræ Vulgaris 36.

Cajus Agrippam e carcere ad Thronum evehit.

Q 2 Ca-

(a) Antiq. l. 18. c. 7. & 8. De Bello l. 2. c. 15.

Cajus Caligula imperium capessens, libertati restituit Agrippam, ferreamque illi injectam catenam, in auream, ejusdem plane ponderis, mutavit. Quin regio diademate imposito, Tetrarchiam illi a Philippo patruo, Herodis magni filio olim possessam, dono dedit, addita etiam Abylena, quam Lysanias obtinuerat.

Agrippa Alexandriæ ludibriis excipitur.

III. Altero deinde anno principatus Caji veniam petiit in Judæam regrediendi, ut Regni sui moderationem assumeret. Dum Agrippa, titulo Regis auctus, suum per Ægyptum in Judæam reditum prosequitur, Alexandrini ob inveteratam cum Judæis simultatem, offensique magno ipsius Regis Agrippæ fastu, illum in gymnasio sermonibus scurrilibus, & mimographorum ludricis carminibus traducunt. Propulsum quoque ad gymnasium, quemdam insanum, nomine *Carabam*, qui interdiu noctuque nudus oberrabat per compita, in superiore loco statuerunt, ut ab omnibus spectari posset. Mox capiti diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream inducunt, pro sceptro frustulum arundinis humo sublatum, quidam ei in manu dedit. Sic ornatum regiis insigniis, & in Regem modo histrionico transformatum, adolescentes, perticas in humeris gestantes, stipabant pro satellitio: tum alii salutatum accedebant, alii sibi reddi jura petebant, alii de Republica consulebant. Post hæc acclamatum est a circumstantibus, magna voce *Marim* appellantibus, quod nomen Syrorum lingua Dominum signi-

gnificat (a). Atque ita Judæorum Rex eodem modo ab aliis irrisus est, quo regiæ dignitati veri sui Domini Jesu Christi ipsi Judæi antea illuserunt. Neque hic fuit ultimus fabulæ actus, nam repente mutata scæna, ludus versus est in tragicum luctum. Redempto enim Flacci Ægypti Præsidis favore, in Judæos Alexandriæ degentes sævitum est. Plures ex illis ustulati, innumeri ferro, aut fame perempti, flagris cæsi, membratim discerpti, vel in crucem acti, dirutæ domus, Synagogæ simulacro Caji pollutæ. Quod Judæorum infortunium, malorum longe majorum præludium fuit, quibus divina ultio ob necem Jesu Christi in illos sævire cœpit.

IV. Postquam Rex Agrippa in suum principatum venisset, delatam fratri suo regiam dignitatem ægre ferebat Herodias, quod Herodes vir suus nonnisi Tetrarchæ titulo decoraretur; quare illum solicitavit, ut Romam petens, parem sibi dignitatem a Cajo impetraret. Agrippa rem subodoratus, imbecilliori prorsus æmulatione, Fortunatum Libertum suum ad Imperatorem, Herodem accusaturum, actutum misit. Herodes, ut Italiam tenuit, recta Bajas tetendit, ubi Cajus versabatur: nec prius pervenit, quam Fortunatus illuc appulisset; qui epistolas Domini sui ad Imperatorem cum Herode adhuc loquentem detulit, quibus Herodem veteris cum Sejano amicitiæ, & recentis cum Artabane Parthorum Rege insimulabat; quod & arma, 70000. hominum in-

ANNO MUNDI 4042. Æræ Vulgaris 39.

Herodes Antipa in Galliam mittitur, cujus Tetrarchia Agrippa augetur.

(a) Phil. in Flac. & de Legat.

instruendis, parata, in armamentariis ipsius condita, comprobare asserebat. Literis perlectis, Herodem Cajus, an verum esset tantam armorum copiam se habere, interrogavit. Negare non audentem, Imperator bonis omnibus, & Tetrarchia, quibus, Agrippam donavit, expoliatum, Lugdunum relegavit. Herodiadi vero Agrippæ sorori, quæ virum comitata fuerat, fratris gratia parcere constituerat, nisi illa Herodem in exilio sequi maluisset. Antipas tandem in Hispania mortuus est. Cajus fortasse, qui altero anno ab exilio Antipæ Lugdunum venerat, locum exilio destinatum mutaverat (*a*). Ita incesti sui connubii, interempti S. Joannis Baptistæ, & Christi ludubrio affecti, pœnas luerunt.

Judæi statuam Caji in Templum inferri detrectant.

V. Cajus sibi honores divinos attribuens, statuam suam in Hierosolymitano Templo jussit collocari, adscito in titulum novi Jovis cognomento. Judæi his auditis, infinito prope numero in Phæniciam, ubi agebat Petronius Syriæ Præses, cui erigendæ statuæ negotium commissum fuerat, contenderunt, distributique in sex ordines, ex una parte Seniorum, juniorum, puerorum, ex altera anuum, mulierum, virginum, insperso capitibus pulvere, profusisque lacrymis, ac reductis more damnatorum ambabus manibus, orabant ne ad id compellerentur, quod patriæ Religioni adversabatur, significantes, mortem se potius oppetere, quam imperata facturos. Quare miserabili supplicatione commotus, literas ad Cajum

(*a*) Antiq. l. 18. c. 9.

jum misit, in quibus nihil de Judæorum constantia commemoravit, veritus, ne in se, & in Judæorum capita exitium adduceret; sed cunctationem causatus est, quod artifices tempus sibi differre statuæ perficiendæ postulassent; quodve maturæ jam segetes essent; timendumque propterea, ne deplorata Religione Judæi vitam quoque contemnerent, & vastatis agris suasmet fruges late per campos collesque incenderent, magno exercitus sui incommodo. Cajus his perlectis literis, Agrippæ Romæ tunc commoranti, & ad se salutandum venienti. Tui, inquit, Judæi vere mirandi, qui soli inter homines Cajo honores divinos denegantes, exitium in suum caput adsciscunt. Ut Jovis statua in eorum Templo erigeretur, impetrare non potui: illi quippe specie gratiam petendi, undique in me conjurant. Ad hæc Agrippa animo defecit, ac domum reductus, omnino sensibus destitutus usque ad vesperum alterius diei permansit; tunc vero oculis subapertis circumstantes respiciens, iterum evanuit. Tandem die tertia resumpto spiritu, Imperatorem per literas deprecatus est, ut Judæis parceret, neve eos statuas recipere cogeret. Cajus Agrippæ precibus commotus, lautissimo convivio non multo post ab eo exceptus, inter bibendum, beneficiis quamplurimis se illum cumulaturum promisit; peteret interim, si quid vellet. Agrippa occasionem nactus, orare se dixit, ne de statuis in Templo invehendis ulterius cogitaret. Annuit tunc Cæsar; sed non ita mul-

to post præstitæ Judæis indulgentiæ pertæsus, novam statuam æream miræ magnitudinis, & auro superindutam, Romæ conflari jussit. Hanc vero anno sequenti secum ipse in Ægyptum transferre, ac secreto in Templo Hierosolymitano erigendam curare, antequam Judæi adverterent, cogitabat. Interea Petronium per literas objurgavit, quod Judæorum munera potius, quam Principis voluntatem respexisset; jussitque, ipsum eo crimine dignas pœnas ex se ipso expetere; quod tantumdem erat, ac si mortem illi consciscere imperasset. Deo tamen disponente, non ante redditæ sunt Petronio literæ, quam de Caji morte nuntium accepit (*a*).

ANNO MUNDI 4044. Æræ vulgaris 41. *Legatio Judæorum ad Cajum.*

VI. Cum Flaccus Præfectus Ægypti a Caligula Imperatore male sibi timeret, nonnulli ei persuaserunt, ut populum Alexandrinum Cæsari acceptum beneficio aliquo sibi conciliaret; nihil vero gratius illis se posse facere, quam si eos sinat in Judæos sævire. Statim in illos Alexandrini debacchari, eorumque Proseuchas diruere, & incendere; in iis autem, quas diruere & incendere non potuissent, Caji statuas erigere. Flaccus ipse edictum proposuit, quo Judæi Alexandriæ cives peregrini appellabantur, & exteri. Quamvis autem successu temporis Præses e dignitate excidisset, & in exilium a Cajo missus fuisset, seditio tamen inter Judæos & Græcos Alexandriam inhabitantes exorta non cessarat; quare utraque parte Legatos ad Cajum mittere

(*a*) Phil. de Legat.

tere visum fuit. Sperabant autem Judæi ut & jus civitatis Alexandrinæ sibi olim concessum assereretur, & Oratoria sua ab hostibus diruta, sive usurpata, restituerentur. Quinque fuerunt Judæorum Legati, quorum princeps erat Philo, vir per omnia clarissimus; tres vero Græcorum, inter quos eminebat Appion Grammaticus. Cajum Judæi primo ita benignum nacti fuere, ut se se illos auditurum, cum primum posset, polliceretur. Ea humanitate omnes fefellit, præter Philonem, qui duriorem causæ exitum, quam principium futurum suspicabatur: nec suspicionem eventus decepit: siquidem Cajus in villa suburbana, cui nomen Mæcenas, Judæorum Legatos ad se venire jussos, risu quodam amaro excipiens. Vos, inquit, Deorum estis inimici, qui soli inter homines divinos mihi honores denegatis, ut Deo, ne nomine quidem noto, deferatis. His dictis, protensis in cælum manibus, horribilem adeo blasphemiam vomit, ut Philo ne referre quidem in suo Libro, quem de hac Legatione scripsit, ausus sit. Interea Isidorus quidam Principi propior factus: Judæi, inquit, isti adeo iniquo in te sunt animo, ut soli mortalium, sacrificium pro incolumitate tua offerre recusent. Ad hæc reclamantibus Judæis, & sacrificia solemnia pro ejus salute ter obtulisse affirmantibus: Esto, respondit Cajus, sacrificia pro me obtulistis, sed alteri, non mihi, qui proinde nihil a vobis honoris obtinui. Aulas interea percurrebat, quid in melius mutari vellet,

præ-

præcipiens. Tum ad Judæos regressus, eos serio, cur a sue abstinerent, interrogavit. Quibus respondentibus, singulas nationes peculiaribus Legibus, & moribus gubernari; suosque adversarios etiam vicissim ab aliquibus se continere, in quorum exemplum ab adstantibus quorumdam mos ab ovium carnibus abstinendi commemoratus est. Sapienter, Cajus inquit, nam caro illa non sapit. Hinc, quo privilegio Cives Alexandriæ haberi vellent, sciscitatus est; verum non expectato eorum cresponso, in Aulam divertit, quam totam circumivit. Ut egressus est, vultu remissiori a Judæis, num aliud vellent, requisivit; ac nihil moratus, in aliam Aulam se contulit, ubi picturas quasdam suspenderat; nec diu post illos remittens, dixit, sibi eas gentes non tam impias, quam miseras, & stultas videri, quæ Divinitatem suam credere nollent. Quem exitum hæc causa deinceps habuerit, ignotum est.

Philonis decora. VII. Philo patria erat Alexandrinus, e sacerdotali genere, & pater Alexandri Lysimachi, Alabarchæ, sive Principis Judæorum, qui frequentes Alexandriæ morabantur. Virum clarissimum fecit Eloquentiæ, & Philosophiæ Platonicæ fama; unde vulgare illud: *Aut Philo platonizat, aut Plato philonizat*. Philo pluribus scriptis claruit, quorum pleraque supersunt, & ab eruditis summo in pretio habentur. Ex illo morem inductum exponendi Scripturas allegorico sensu, Photius autumavit (*a*). Fatendum tamen, morem illum

(*a*) Cod. 105.

lum diu ante Philonem obtinuisse; siquidem hoc exponendi genere Auctores Librorum Sapientiæ & Ecclesiastici, Apostoli & Evangelistæ frequenter usi sunt. Quin & Fidei nomen dedisse illum, & facti postea pœnitentem a proposito discessisse, ex quadam traditione idem Photius testatur. Alii etiam apud Eusebium, & Hieronymum ferunt, Philonem familiarem fuisse S. Petri, quo tempore sub Claudio Romæ ambo versabantur (*a*).

Therapeutarum mores.

VIII. Philo in Libro, quem de vita contemplativa inscripsit, mores Therapeutarum ab oculos ponit. Therapeuta virum Dei servitiis addictum sonat. In eo autem ab Essenïis (*b*) Therapeutæ distinguebantur, quod illi vitæ activæ, hi vero contemplativæ studerent. Bonis suis omnibus, parentibus, ac patriæ valedicentes, solitudinem amabant, ædibus etiam inter se discreti; si tamen prædones invasissent, coibant, atque mutuo se defensabant. Cellulæ eorum nonnisi necessariis instructæ, simplices erant; inter quas Sacellum angustum spectabatur, contemplationi, & Religioni destinatum. In varias Mundi regiones diffusi, potissimum tamen in Ægypto circa lacum Mæridem florebant. Præcipuus apud illos temperantiæ cultus; neque enim cibos nisi post Solis occasum degustabant; quin & semel singulis triduis a quibusdam, semel item singulis sex diebus ab aliis je-

(*a*) Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c... Hieron. de viris illustr. c. 11.

(*b*) Vide hanc Histor. l. 9. c. 11. n. 16.

jejunium solvebatur. Totus autem mensæ apparatus panis erat, cui ad delicias adjectus a nonnullis sal cum hyssopo & aqua. Vestis reliquo cultui par. Quotidie bis genua flectebant, mane & vespere, ad orationem; spatium intermedium lectio, & contemplatio occupabat, lectio, inquam, sacrorum Librorum, quos allegorico sensu, pro accepta ab Auctoribus Sectæ disciplina, explicabant. Hymnos & Cantica varii metri scribentes, nihil unquam nisi Deum corde & ore versabant, ut & somnia ipsa essent religiosa. Die Sabbati in Oratorium commune conveniebant, ubi suum erat pro feminis septum, parietibus trium cubitorum clausum, in quo illæ instructionem audire quidem, videri tamen a viris non possent. Singuli destinato sibi pro ætate loco assidentes, manus tenebant sub vestibus reconditas, dextera quidem supra pectus, sinistra infra posita. Tunc provectior scientia, & ætate assurgens, modesto quidem intuitu ac voce, verba ad cœtum sine fucu faciebat. Loquentis verba silenter ab omnibus excipiebantur, probare se dicta nutu quodam oculorum & capitis significantibus. Diem Pentecostes præ omnibus solemnissimum agentes, niveis vestibus dealbati, ad orationem & festiva simul convivia accedebant. Porro preces dapibus præibant; inde mensæ in storeis vimineis, feminæ ad sinistram, viri ad dexteram, assidebant. Silentium interim adeo religiose servatum, ut ne liberius quidem respirare auderent; quamquam non deerant, qui propo-

sita aliqua Scripturæ sanctæ quæstione convivas detinerent. Appositæ inde dapes, panis scilicet non fermentatus, sal, & hyssopus; ætate, & viribus validiores frigida, calida vero senes, & imbecilliores potabant. Post cœnam omnes assurgentes, in duos choros virorum, & feminarum divisi, modo alternatim, modo simul omnes hymnos in Dei honorem psallebant. Choreis etiam pro spiritus, & verborum cantici ductu ludentes, œstro quodam rapti videbantur; inde una simul omnes chorea, instar illius, qua Israelitæ in exitu maris Rubri, ludebant. Hæc totius noctis ante Pentecostem tripudia; mane vero sub ortu Solis, porrectis ad cælum manibus, Deum exorabant, ut veritatis illius lux singulis affulgeret. Inde in suam singuli cellam reducti consuetis exercitiis vacabant.

Utrum Therapeutæ essent Christiani.

IX. Eusebius omnium primus inter Patres vindicavit Christianis, quæ Philo celebrat de Therapeutis. Gemina senserunt Hieronymus, & Epiphanius. Cassianus tradit, monasteria in Ægypto ex ipsa Apostolorum ætate, auctore S. Marco, paruisse. Agnoscit Photius vitæ Therapeutarum professionem, normam fuisse & exemplar Monasticæ. Sed hæc, quæ in Therapeutis Christianos agnoscit, opinio, quamvis quietum habuerit regnum in Ecclesia plurium sæculorum spatio, modo in dubium revocatur, iis potissimum de causis. I. Therapeutæ sabbati religione tenebantur. II. Mystica illa convivia panis non fermentati, salis, & hyssopi, quid valet ad Christianorum

Eu-

Eucharistiam, in qua panis quidem & vinum, numquam sal, & hyssopus? III. Addit Philo, dapes illas institutas esse in honorem *Mensæ dedicatæ in Templi vestibulo, nam in ea solent poni panes cum sale absque condimento alio, sed panes non fermentati*. Porro hæc cæremonias pure puteque Judaicas innuere videntur. IV. Choræ, & gesticulationes Therapeutarum minus referunt agendi rationem simplicem, & modestam primorum fidelium. Hæc tamen non admodum urgent, si quis reputaret cum Sozomeno (*a*) Therapeutas Judæos fuisse ad Christiana Sacra translatos, eosque proinde nonnullis antiquæ Religionis Judæorum ritibus consperfos. Adde, Philonem Therapeutarum mores, sibi forte non bene perspectos, oratorio more exagerasse.

Vitæ Monasticæ initia.

X. Ad exordium Monasticæ quod pertinet, Cellulæ illæ, vel Asceteria Therapeutarum considentia in eminenti quodam loco ultra lacum Mæridem, hoc est circa montes Nitriæ, Heremitarum frequentia celebratissimæ, ipsique Therapeutarum mores a Philone vividis adeo coloribus expressi, totidem sunt argumenta demonstrantia, Monachos originem suam retulisse e Therapeutis, & ab his ad illos hereditaria quadam successione transisse cellulas, & disciplinam, rejectis tamen Judæorum cæremoniis, repudiatoque mulierum contubernio. Quis enim credat, vel Judæos sedes suas concessisse Christianis, vel illas, pulsis veteribus incolis, occupare sibi potuisse Chri-

(*a*) Lib. 2. c. 18.

Christianos, jugi persecutione adusque quartum sæculum jactatos? Porro illud certissimum est, vitæ monasticæ exempla paruisse ante secessum S. Antonii, idest ante annum 270. quo scilicet S. Antonius in eremum contendens, senem Monasticam exercentem obvium habuit (a).

XI. Circa idem tempus Judæi, qui Babyloniam incolebant, Seleuciam aufugerunt: cui quidem fugæ Asinæus, & Anilæus fratres ambo Judæi ex urbe Heerda ad Euphratem, occasionem præbuerunt. Cum post mortem patris summa egestate premerentur, textrinam addiscendo vitam tolerare coacti sunt. Accidit interea ut quadam die sero ad opus venientes ab Officinæ Magistro verberibus jam jam castigandi essent, quare se se in tutum receperunt; deinde armis arreptis, aliisque seditiosis congregatis, prata quædam occuparunt sita in paludibus, ad locum, ubi Euphrates, in plures rivos dispergitur. Ibi validis munitionibus ductis, Præfectis etiam Babyloniæ graves esse cœperunt, quorum exercitum non sustinuerunt modo, sed etiam, ut re infecta rediret, coegerunt. Tantam duorum fratrum virtutem admiratus Artabanus Parthorum Rex, ne dum illos videre, sed occupatam etiam regionem tuto detinere sustinuit. Cum ea loca 15. annis quiete tenuissent, tandem Anilæus amore cujusdam feminæ Parthæ captus, conjugi illius, Provinciæ Præfecto, bellum intulit,

ANNO MUNDI 4044. Æris Vulgaris 41. *Historia Asinæi, & Anilæi.*

(a) Athanas. in vita S. Anton.

lit, victumque, atque in suam potestatem redactum occidit, ejusdemque uxore potitus est. Verum mulier illa in novo conjugio nihilo, quoad Religionem immutata, Deorum simulacra in regionem Judæorum invexit. Ea res graves excitavit querelás apud Judæos, nec minus Asinæo displicuit, qui diutius crimine tolerato, tandem feminæ repudium fratri persuadere tentavit. Sed vi amoris Anilæum trahente, omnes fratris conatus inanes fuerunt; quin & mulier illa, ne Judæi contra se arma caperent pertimescens, Asinæum veneno substulit. Post hæc Anilæus excursionibus ditionem Mitridatis generi Regis Artabani infestavit; illiusque exercitum subito adortus fudit, ac Regem ipsum captivum abduxit; illum tamen postquam fæde plurimum habuisset, tandem remisit. Mitridates, uxore instigante, denuo copias collegit, ac cum Anilæo sibi occurrente congressus, victum fugatumque intra paludes reduxit. Ibi tandiu Anilæus substitit, quamdiu Babylonii, qui antea regionem exploraverant, missis ad illum Legatis specie fœderis ineundi, incautum improviso noctu adorti oppresserunt. Sublato Anilæo ejusque sodalitio, Babylonii in Judæos undique coorti sunt. Itaque non ferentes eorum violentiam, migrarunt Seleuciam, quæ commune erat Macedonum, Græcorum, & Syrorum domicilium. Postea vero Græci & Syri Judæos communibus prosequentes odiis, eosque ex improviso aggressi occiderunt supra quinquaginta virorum millia. Quo factum est ut

qui

qui tantæ cladi superstites fuerunt, Ctesiphontem, Neerdam, & Nisibim se receperint (*a*).

XII. Celebris etiam est historia Helenæ Adiabenorum in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis Reginæ, quæ a quodam Judæo ad veri Dei cultum conversa, Hierosolymam circa hoc tempus venit, ut votivas in Templo victimas redderet, dierum aliquot itinere ipsam deducente filio Izate Rege, qui pariter ad eamdem Religionem fuerat traductus. Cum vero multos civium illa videret perire alimentorum inopia, avertendæ calamitati, magnis impensis triticum, aliosque cibos, Alexandriæ, & in Cypro comparavit, ut Hierosolymam asportarentur. Izates etiam eo magnam pecuniarum vim misit, prætereaque quinque filios, ut disciplinas Judaicas addiscerent. Tamdem mater Helena tres extruxit pyramides, tribus ab Urbe Hierosolyma dissitas stadiis; ad quas & ipsius, & filii Izatis ossa postea asportata sunt jussu Monobazi, fratris ejusdem Izatis, & in Regno successoris, qui pariter ad Judæorum Sacra transierant (*b*). Helenam Paulus Orosius Christianam fuisse asserit (*c*). Ætate Eusebii, & S. Hieronymi ejus tumulus adhuc visebatur. Pausanias, qui labente secundo sæculo scribebat, Mausolæum illud inter Orbis miracula recenset.

Helena Regina Hierosolymam venit.

XIII. Cum milites, Cajo a Chærea interfecto, ad Claudium patruum ejus, & Drusi filium, Imperium deferrent, Agrippa Judæorum Rex Romæ commorabatur, qui plurimum

Claudii in Agrippam & Judæos beneficientia.

(*a*) Antiq. l. 18. c. 12. & de Bello l. 6. c. 6. & 7.
(*b*) Antiq. l. 20. c. 2. (*c*) Orof. l. 7. c. 6.

mum consiliis suis ipsum juvit, ut delatum sibi honorem acceptaret. Qua in re plus solertiæ & industriæ, quam sinceritatis ostendit: partibus enim Senatus adhærere simulans, suasit ut mitterent ad Claudium, qui ei deponere Principatum suaderent, ad quam Legationem se ipsum obtulit. Missus vero Claudio seorsum trepidationem Senatus indicavit, auctorque fuit, ne tantam fortunam derelinqueret. A quo tandem Imperium obtinente, in officioruum suorum præmium, non tantum in ditione sua confirmatus fuit, sed & Judæam & Samariam, quod olim ad ejus avi Herodis Regnum pertinuissent, obtinuit. Quin & Herodem fratrem ejus Chalcidis Regno præfecit, Judæisque Alexandrinis a Gentilibus vexatis vetera jura confirmavit. Sed etiam per totum Imperium Judæis permisit ut suo jure, & Majorum moribus uterentur; monens simul, ut hac gratia contenti, modestius se gererent, neque aliarum gentium Religiones conspuerent: vetuit tamen ne Romæ cœtus haberent (*a*).

Agrippa in Judæam redux.

XIV. In Judæam reversus Agrippa, votiva, & a Lege præscripta sacrificia persolvit, & catenam auream a Cajo donatam, monumentum adversæ fortunæ mutatæ in prosperam, suspendit in Sacrario supra Gazophilacium. Theophilum deinde Anani filium submovit a Sacerdotio, & Boethi filium Simonem, cognomento Cantharam, in ejus locum substituit. Paulo tamen post ipsum quoque Cantharam Pon-

(*a*) Antiq. l. 19. c. 3. & 4. Dio l. 60.

Pontificatu privavit, quem Jonathæ Anani filio reddere voluit; ſed eo recuſante, juxta illius conſilium, fratri ejus Matthiæ detulit; cui deinde poſt annum amoto Elionæum Cithæi filium ſuffecit. Hieroſolymitis tandem benevolentiæ gratiam referens, remiſit tributum, quod ſoliti erant in ſingulas ædes pendere.

Doritarum temeritas.

XV. Paulo poſt Doritæ quidam juvenes Religionis ſpecie poſuerunt in Judæorum Synagoga ſtatuam Cæſaris, quod Agrippam vehementer commovit. Quare ſine mora ad Petronium Syriæ Præſidem profectus, queſtus eſt de Doritarum audacia. Qui & ipſe non minus ægre ferens hoc facinus ut impium, novatoribus illis ſcripſit aſperius. Nec ita multo poſt Petronio Vibius Marſus in adminiſtranda Provincia ſucceſſit (*a*).

ANNO MUNDI 4047. Æræ Vulgaris 44. *Agrippæ interitus.*

XVI. Circa Paſchatis feſtum, mala Judæis obſecundandi libidine captus Agrippa, in Jacobum, & Petrum Chriſti diſcipulos, alterum capite imminutum, alterum carceri traditum, ſæviit (*b*), peractaque ſolemnitate Hieroſolyma Cæſaream adiit, ubi publicos ludos in Claudii honorem exhibuit. Eo inter alios Tyrii & Sidonii, ut quiddam, quod Regi ingratum ex ipſis acciderat, purgarent, ſe ſe contulerunt. Certam illis diem indixit Agrippa, ut palam in theatro audirentur. Dies erat ludorum altera; qua exorta, ſedit in ſolio conſpicuus regia veſte, ex argento miro opere contexta. Surgentis Solis radii argento re-

(*a*) Antiq. l. 19. c. 5. (*b*) Act. XII. 2. & 6.

percussi acrem adeo lucem undique spargebant, ut aspicentium oculos perstringerent. Statim vero ac Rex Tyrios & Sidonios alloqui cœpit, populus exclamavit: *Dei voces, non hominis* (*a*): „ propitius nobis esto; & licet ha„ ctenus te veluti mortalem reveriti sumus, in „ posterum te hominibus majorem profitebimur „ (*b*). " Rex autem neque illos objurgavit, neque impiam eorum adulationem rejecit. Sublatis vero post paululum in altum oculis, supra caput bubonem funiculo cuidam insidentem conspexit, statimque hunc malorum esse nuntium sibi persuasit, eorum quæ Romæ, dum in vinculis esset, audierat, reminiscens. Visa enim eadem avi, prædictum ipsi fuerat, libertate donandum; cum vero rursus vidisset, sciret, quinque tantum vitæ suæ dies superesse. Ingenti ergo terrore correptum Angelus Domini vehementissimis ventris cruciatibus percussit, quod debitam Deo gloriam non dedisset. Conversis itaque ad amicos oculis: Ecce, inquit, qui immortalis appellabar a vobis, & Deus, fati necessitate rapior ad mortem. In palatium suum ocyus delatus post quinque dies obiit, viscerum doloribus distractus, & a vermibus corrosus. Hic Agrippæ exitus fuit post tres Regni annos, si a Claudio exordium sumatur, post septem vero, si a Cajo. Unicum filium sibi cognominem, & tres filias, Berenicem, Drusillam, & Mariamnem, reliquit. Porro Cæsareæ, & Sebastes Cives infan-

da

(*a*) Act. XII. 18. 19. c. ult.
(*b*) Joseph. Antiq. l.

da convicia in defunctum jactarunt, militumque vulgus protractas e Regia filiarum statuas, in lupanaria detulere, illis turpiter illudentes.

Agrippæ juniori denegato Regno potestas in Judæorum Sacra asseritur. Judæi in regione turbantur, Roma vero expelluntur. Agrippæ sorores. Is ad Chalcidis Regnum evehitur. Nero imperat. Flavii Josephi vita & Libri. Varii Judææ Procuratores. Sacerdotes inter se se, & cum Agrippa diffidia miscent. S. Jacobi martyrium. Hierosolymorum excidium portenditur. Linea vestis Levitis conceditur. Judæorum census.

CAP. VII.

ANNO MUNDI 4047. Æræ Vulgaris 44.

I. AGrippa junior, annos 17. agens, Romæ erat apud Claudium, cum pater ipsius Agrippa obiit. Huic Imperator omnem patris sui ditionem tradere constituerat; verum familiarium hortatu ipsum Romæ detinere decrevit, donec ad ætatem Imperio aptam perveniret. Interim Judææ administrationem Cuspio Fado committens, in Cæsarienses & Sebastenos ob ignominiam Agrippæ, ejusque filiabus illatam, graviter animadverteret præcepit.

Agrippæ juniori Regnum denegatur.

II. Altero a morte Agrippæ anno, Cassius Longinus Syriæ Præses, qui Marso suffectus fuerat, Hierosolymam veniens, Judæos cogebat ut Stolam, & cetera pontificalia orna-

Custodia vestium pontificalium Judæis confirmatur

 men-

menta Provinciæ procuratori traderent, in turri Antonia asservanda, quod & fieri consueverat, priusquam Vitellius Judæis custodienda concederet. Ii vero datis obsidibus, Legatos Romæ mittendi facultatem obtinuere, quibus intercedente Agrippa juniore, concessæ a Vitellio custodiæ jus confirmatum est.

Potestas in Judæorum Sacra primum Herodi, deinde Agrippæ asseritur.

III. Quo etiam tempore Herodes, demortui Agrippæ frater, Chalcidis Rex, potestatem in Templum, in sacrum Ærarium, & in Pontificum electionem a Claudio impetravit; qua usus potestate, dejecto Elionæo, Simonem Cantharam summo Sacerdotio iterum restituit. Verum illi brevi amoto subrogavit Josephum filium Camithi; quo pariter exauctorato Ananiam filium Nebedei suffecit. S. Paulus coram eo Pontifice causam suam defendens, visus liberius loqui, ejus jussu colaphis cæsus est. (*a*). Quas Fadus pœnas de Theuda impostore sumpserit, alibi dicemus (*b*). Fado Tiberium Alexandrum Lysimachum, nepotem Philonis Hebræi, & filium Alexandri Lysimachi, Alabarchæ, sive Præfecti Judæorum Alexandrinorum, ejurata Religione insignem, Imperator suffecit (*c*). Hic Jacobum, & Simonem filios Judæ Galilæi, qui olim seditionem in populo excitaverant, crucis supplicio sustulit. Cum Herodes Rex Chalcidis anno Regni sui octavo vita decessisset, illius Principatum & sacram in Templum & Pontifices potestatem Claudius Agrippæ juniori, ipsius

(*a*) Act. XXIII. l. 13. c. 3. n. 4.
(*b*) Vide hanc Histor. (*c*) Antiq. l. 20. c. 3.

ipsius nepoti largitus est, neglecto Aristobulo ejusdem Herodis filio.

IV. Tiberio Alexandro Ventidius Cumanus suffectus est, quo Judæam administrante turbis occasionem dedit cujusdam Romani militis impudentia. Ille quippe Hierosolymis ad fores Templi una cum sociis excubans, frequentissimo populo ad Paschæ solemnia affluenti, obscœnam corporis partem in contemptum ostendit. Exarsit statim in Cumanum populus; sed Præses instructo ad Turrim Antoniam agmine motam seditionem compescere tentavit. At Judæi suspicati, se ad necem peti, milites aggressi sunt, ipsorum tamen infortunio, quippe viginti Judæorum millia interiere (*a*).

Anno Mundi 4052. Æræ Vulgaris 49. *Sub Cumano cujusdam militis impudentia Judæa maxime turbatur.*

V. Eodem fere tempore Claudius Imperator Judæos omnes Roma expulit, cum quibus & Christianos communem habuisse fortunam, credimus. *Judæos*, scribit Svetonius, *Chresto impulsore assidue tumultuantes Roma expulit* (*b*). Hæc scriptor Ethnicus, qui res nostras, Judaicasque non bene callens, Christum, sive Chrestum Hebræorum quemdam putabat, qui illos ad tumultum sollicitaret. Cum tamen nonnisi probabilissime crederetur, harum turbarum in causa fuisse Hebræos incredulos, qui in Hebræos fideles, novosque Christianos, persecutionem moverent. Judæos Romam brevi rediisse credimus.

Judæi Roma expelluntur.

VI. Cum Galilæis ad festum Hierosolymam per Samariam necessario esset transeundum, Ga-

Anno Mundi 4055. Æræ Vulgaris 52. *Inter Ju-*

R 4

(*a*) Ibid. c. 4.

(*b*) Lib. 5. c. 25.

daeos & Samaritanos tumultus.

Galilæo quodam interfecto, indeque pugna inter viatores & vicanos orta, multi Galilæorum desiderati sunt. Id indigne ferentes eorum Primates, ad arma Judæos conciverunt. Hierosolymis igitur, relicta diei solemnitate, armatum vulgus in Samariam impetum fecit, incassum, primoribus inter illos renitentibus. Adsciti quoque in auxilium latronum duces, Eleazarus Dinæi filius, & Alexander, in Acrabatanæ conterminos Samaritas irruentes, promiscuam ediderunt cædem, vicosque incenderunt. His cognitis Cumanus assumptis cohortibus, armatiique etiam Samaritanis, contra Judæos profectus, multos eorum interfecit, plures vero captos abduxit. Reliqua multitudo his magis offensa, iterum arma in Samaritas movissent, ni gentis Principes saccos induti, conspersique capita cinere intercessissent, præ oculis ponentes, diruendam Patriam, Templum incendendum, liberosque cum uxoribus captivos abducendos. Ex eo autem tempore universa Judæa repleta est latronum receptaculis (*a*).

Causa ad Quadratum defertur.

VII. Samaritanorum Primates Numidium Quadratum Syriæ Præsidem tunc Tyri degentem, qui Cassio Longino successerat, convenerunt, vindictam de Judæis, qui vicos eorum incenderant, postulantes. Præsto autem fuerunt etiam Judæorum nobiles, & Jonathas filius Anani summi Sacerdotis; qui objecta diluentes, initium tumultus a Samaritanis profectum dicebant; causam autem calamitatum po-

(*a*) Antiq. l. 20. c. 5. & de Bello l. 2. c. 11.

postea secutum fuisse Cumanum, qui illorum muneribus corruptus, eam injuriam ulcisci noluerit. His auditis Quadratus judicium ad suum in Judæam profectum distulit. Post aliquod tempus cum in Samariam venisset, jussit reos causam suam dicere; in quo quidem judicio comperit, Samaritanorum culpa tumultum primum excitatum fuisse. Cæsaream vero procedens, cognito, quod Judæorum quidam res novas moliti essent, in carcerem egit, quos Cumanus vivos ceperat, & ibi reliquerat. Profectus inde Lyddam, iterum causam Samaritanorum audiens, didicit, Dortum Judæorum primatem cum aliis quatuor sociis Judæos ad defectionem sollicitasse, quos ille affecit supplicio. Alios etiam Judæorum decem & octo, quos cognovit pugnæ fuisse participes, securi percussit. Duos Principes Sacerdotum Jonatham, & Ananiam, ejusque filium Ananum, & nonnullos alios Judæos nobiles, Quadratus ad Cæsarem misit; similiter Samaritanorum nobilissimos quosque. Præcepit etiam Cumano, & Celeri Tribuno Romam navigare, reddituros Claudio rationem eorum, quæ in regione gesserant.

ANNO MUNDI 4056. Æræ Vulgaris 53.

Felix Judææ Procurator. Agrippæ sorores non bene audiunt.

VIII. Cumanus & Samaritæ comparaverant sibi Romæ favorem libertorum & amicorum Cæsaris; quorum opera vicissent adversarios, nisi Agrippa junior obtinuisset ab Agrippina uxore Claudii, ut marito persuaderet, legitime causam cognoscere, & in deprehensos tumultus auctores justam proferre sententiam. Claudius igitur auditis partibus, ut comperit,

a Sa-

a Samaritanis factum tumultus principium, eos qui tum ad judicium venerant, supplicio tradidit, Cumanum mulctavit exilio, Celerem vero Hierosolymam misit, ut per urbem tractus capite plecteretur. Procuratorem deinde in Judæam destinavit Claudium Felicem fratrem Pallantis, apud Cæsarem libertorum potentissimi, qui eam Provinciam una cum Samaria, & Galilæa administraret. Novus Procurator *per omnem sævitiem & libidinem jus regium servili imperio exercuit* (*a*). Felicem tres Reginas, nempe regias feminas, duxisse tradit Svetonius (*b*). Harum prima fuit Drusilla Judæa, altera accessit Drusilla Antonii, & Cleopatræ nepotis (*c*); tertia ignoratur. Drusilla Judæa parentem habuit Agrippam seniorem; quæ adhuc sexennis oppignorata fuit Epiphani Comagenorum Regi, qui transiturum se ad Judæorum Sacra promiserat. Sed cum stare promissis noluisset, sororem suam Drusillam nuptum illi tradere Agrippa junior recusavit, ejusque loco Azizum Regem Emesæ, qui Circumcisionem admisit, substituit. Felix visa Drusilla, feminarum omnium quidem pulcherrima, non tamen pudicissima, amore ejus captus, Simonem quemdam, pro Mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret, ut relicto Azizo ipsi nuberet. Illa male consulta, cum ferre non posset sororem Berenicem, quæ illi formæ præcellentiam invi-debat,

(*a*) Tacit. Annal. l. 12. c. 54.

(*b*) In Claud. c. 28.

(*c*) Tacit. histor. l. 5. c. 9.

debat, patria Religione posthabita, consensit. Ipsa vero Berenice, Herodis patrui sui Regis Chalcidis vidua, cum spargeretur rumor, cum fratre Agrippa eam congredi, suasit Polemoni Regi Ciliciæ, ut circumcisus prius, se duceret; rata sic se mendacium depulsuram. Verum non ita multo post, discedente ab eo Berenice, quod suspicionem magis promovit, Rex Judaicæ Religionis desertor factus est. Eodem etiam tempore Mariamne, tertia Agrippæ soror, Julium Archelaum Chelciæ filium dedignata, migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos Judæos tam opibus, quam genere, & tunc Alabarchiæ magistratum gerentis (*a*).

IX. Jonathas, qui antehac summum Pontificatum gesserat, cum Felicem, quem in Judæorum Procuratorem eligendum curaverat, de rebus Judaicis male gestis liberius interpellaret, ejus animum ita a se amovit, ut vir improbus in eum sævire decrevit. Quare Doram Hierosolymitanum, Jonathæ fidissimum, pecunia promissa induxit, ut sicarios in ipsum immitteret. De ejus itaque industria nefarii quidam, Religionis ergo, in urbem ascendentes, pugionibusque sub veste abditis, ejus famulitio immixti, senem miserum peremerunt. Cujus facinoris, quia nemo ultor extitit, invitati hac licentia sicarii per singula festa ventitantes, & sicas cælantes, pari modo turbis permixti, alios propter privatas inimicitias, conducti pecunia impune confodiebant.

Jonathæ per Felicem interitus.

X. In-

(*a*) Antiq. l. 20. c. 5.

ANNO MUNDI 4057. Æræ Vulgaris 54.

Agrippa ampla ditione augetur, & Nero ad Imperium evehitur.

X. Interim Agrippa, cum per quadriennium Chalcidis Regno præfuisset, Claudius eo illi ablato, in majus eum Regnum transtulit, Philippi Tetrarchia ei donata, Batanea videlicet, & Gaulanitide, simul cum Trachonitide, adjuncta etiam Abila, quæ Lysaniæ paruerat. Non potuit tamen diu gratia Cæsaris frui, nam Claudius proditione conjugis Agrippinæ veneno sublatus est. Quo autem die ille obiit, foribus palatii repente deductis, Nero gener, & adoptivus filius ejus Imperator declaratus est, qui Regi Agrippæ quatuor urbes addidit cum agris ad singulas pertinentibus, in Galilæa Tiberiadem & Tarichæam, in Ituræa trans Jordanem Abelam, & Juliadem.

Varii Impostores.

XI. Initio Imperii Neronis Judæa tota referta erat latronibus, magicis præstigiatoribus, imperitique vulgi seductoribus; quos quotidie comprehensos Felix e medio sustulit. Inter eos Eleazarum Dinæ filium, non mediocrem latronum globum circa se habentem, Præses, ut ad se veniret, persuasit, data fide, quod nihil mali esset passurus, moxque vinctum Romam transmisit. Ægyptius quoque Magus, Religione Judæus, in provinciam venit, & Prophetæ opinionem sibi arrogans, triginta ferme, vel potius quatuor (*a*) millia hominum congregavit; quos circumducens de solitudine in montem Olivarum, illic visuros affirmabat, suo jussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in civitatem pate-

(*a*) Act. XXI. 38. Joseph. Antiq. l. 20. c. 6. & de Bello l. 2. c. 12.

pateret. Quo cognito, Felix erumpens turbam seductam invasit; quorum quadringentis occisis, ducentos vivos cepit, reliqua multitudine dispersa. Ægyptius vero ipse cum paucis elapsus disparuit. Unde de eo Lysias Tribunus ad B. Paulum: *Nonne tu es Ægyptius ille, qui eduxisti in desertum quatuor millia sicariorum?* Qua ætate Christus venit in Mundum, totus in expectationem Messiæ & Liberatoris, longo tempore vota hominum detinentis, arreptus erat Oriens; factum inde, ut sæculum illud esset impostoribus præ aliis omnibus feracissimum; paratos enim nanciscebantur animos, facilesque aures, ut inanes etiam spes sibi factas perhiberent.

Judæi & Syri inter se se committuntur.

XII. Apud Cæsaream Stratonis inter Judæos, & Syros habitatores, de pari jure Civitatis contentione exorta, post convicia ad lapides ventum est, ita ut multi utrinque sauciati caderent, penes Judæos tamen fuit victoria. Quos cum Felix prosiliens frustra rogaret, ut desinerent, immissis militibus multos eorum peremit, plures captivos fecit, multasque eorum domus militibus in prædam concessit. Plus vero sævisset, ni Judæorum honestiores ac modestiores suis precibus intercessissent. Verum post aliquod tempus seditionem inter Judæos & Syros Cæsarienses adhuc manere intelligens, nobiles utriusque partis misit ad Neronem, de jure suo disceptaturos. Syrorum autem duo præcipui Beryllum, qui Neronis Pædagogus fuerat, magna pecunia corruperunt, ut impetraret ab Imperatore litte-

ras,

tas, quibus abrogaretur Judæis ejus Civitatis jus, hactenus commune ex æquo cum Syris habitatoribus: id quod facile obtinuit. Quod ubi Judæi Cæsarienses cognoverunt, in seditionibus usque ad initium belli Judaici, hinc præcipue conflati, perstiterunt (a).

Sacerdotum discordiæ.

XIII. Per idem tempus Agrippa Rex, abdicato Anania, summum Sacerdotium Ismaeli filio Phabei contulit. Tunc summi Sacerdotes exauctorati, ad se jure dominii pertinere contendebant decimas & oblationes, inferioribus Sacerdotibus destinatas. Eam injuriam a se propulsaturi Sacerdotes, Optimatibus in auxilium vocatis, turbas in illos Hierosolymæ, & in ipso etiam Templo exciverunt. Commissis igitur inter se utrinque ad jurgia primum & minas, dein etiam ad plagas ventum est. Felix eodem fere tempore, & eadem sorte de causa Sacerdotes quosdam Romam misit, causam suam apud Cæsarem acturos; quibus juvandis Josephus Historicus iter Romanum suscepit; nec frustra: nam Poppææ, quam sibi conjunxerat Nero, precibus incolumitatem amicis est consecutus. Causa autem illorum tangebat Josephum, quod in calamitate constituti curam pietatis non abjicerent, & ficubus eos, atque nucibus vitam substentare, audiret.

Josephi Historici res gestæ, & scripta.

XIV. De Josepho sæpe sæpius in posterum a nobis dicendum erit, cui & debemus notitiam fere omnium, quæ in sacro Codice ad excidium usque Judaicæ Reipublicæ desiderantur.

(a) Antiq. l. 20. c. 6.

tur. Quare res ipsa postulare videtur, ut de illo nonnulla ab ipsomet scripta in præsentiarum narrentur. Josephus igitur historicus Judæus, cognomine Flavius, Matthiæ filius, ex progenie Sacerdotum, anno primo Caji Imperatoris natus est. Eo usque adolescens profecerat, ut annos natum quatuordecim ipsi Pontifices de pertinentibus ad Legem consulerent. A decimo sexto usque ad annos undeviginti in solitudinem profectus, Bani Magistri sæverissimam vitam sibi propositam prorsus conatus est imitari, tribusque Judæorum præcipuis Sectis sedulo discussis, demum Pharisaicam amplexus & anno ætatis suæ 19. Hierosolymam reversus, publicis rebus cœpit incumbere. Post annum vero sextum supra vigesimum Romam petiit, eo eventu, quem supra retulimus. Videbimus postea, rerum, quæ labentibus Judæorum rebus contigerunt, ipsum magnam fuisse partem. Josephi scripta, quæ in Eruditorum manibus versantur, Libri 7. de Bello Judaico, Antiquitatum Judaicarum Libri 20. cum appendice de Vita sua, Libri duo contra Appionem, & Panegyris in Machabæos.

Libri de Bello Judaico.

XV. Historiam quidem Belli Judaici hebraice primum scripsit, quæ editio nusquam paret; postea eamdem Græco sermone complexus est. Cum autem Græcam linguam non multum calleret, in altera illa editione alterius opera usus est. Porro tanta hujus operis ipsi fiducia fuit, ut illud Vespasiano & Tito, quorum auspiciis Bellum illud consummatum fue-

fuerat, offerre non dubitarit. Nec ingratum Imperatoribus munus illud fuit. Certe Titus Historiam illam propria manu subscriptam, vel, ut alii malunt, descriptam, publice legi voluit. Quin etiam hos Libros Bibliothecæ traditos, & Auctorem ob ingenii gloriam Romæ statua donatum, Hieronymus perhibet (*a*), Eusebium secutus, qui tamen non solum septem illos Libros de Bello Judaico, sed generatim Josephi opera publico illo honore donatos asserit.

Libri Antiquitatum. XVI. In suis Antiquitatibus Josephus Judaicæ gentis historiam ita prosequitur, ut ab ipsa Mundi creatione exorsus, ad duodecimum usque Neronis annum progrediatur; cui quidem Operi, Romæ elaborato, anno Domitiani decimo tertio, & ætatis suæ quinquagesimo sexto, ultimam manum imposuit. Noluit tamen illud absolvere, quin prius de vita sua opusculum exararit. Licet autem sacris Libris, e quibus ea quæ recenset, exhausit, nihil se additurum, se nihil detracturum fateatur, plura tamen reticet, plura immutat, plura etiam addit. Enimvero non nunquam veritatis amorem in Josepho nimium Gentilibus placendi studium corrupit.

Libri contra Appionem, & de Imperio Rationis. XVII. Aliud cudendi Opus occasionem subministravit Appion Grammaticus, qui Oasi in Ægypto natus, Alexandrinus dici maluit, quod ejus civitatis jure gauderet. Illum Tiberius Mundi cymbalum appellabat. Cum mendacissimum commentarium adversus Judæos, ipsorum

(*a*) De Script. c. 13.

rum antiquitatem maxime impugnans, edidisset, ei in secundo Libro respondit Josephus, nam prior liber aliis Judaicæ gentis obtrectatoribus ab eo est oppositus. Quatuor istis Operibus adjungendus est Tractatus de Imperio rationis, sive Panegyris in Machabæos, si modo is Josephum Auctorem habeat (*a*).

XVIII. Sunt forte & alia, quæ Josephus scripsit; nam in fine libri 20. Antiquitatum promittit, se, si fata concesserint, quatuor libros de Judæorum opinionibus circa Deum, ejusque essentiam, & Legum rationes editurum. Quæ promissa Josephus aut non implevit, aut hæc monumenta temporum injuria intercidere. Idem dicendum de Opere Etiologico, cujus in limine Antiquitatum meminit. Extabat olim Liber, sive sermo ad Græcos, de Causa Universi contra Platonem, cujus modo nonnisi fragmentum superest. Hunc tractatum ab aliis ipsi Josepho, ab aliis Justino Martyri, ab aliis Irenæo, Cajo Presbytero Romano, Hippolyto, tributum scimus. Propius tamen vero est, Opus illud ex variis Auctoribus collectum fuisse. Josephi Opera plures sane plurimi faciunt, quem præterea Hieronymus Græcorum Titum Livium appellat. Quo anno obierit ignoramus. Legere quondam erat in ejus Historia, Judæos Hierosolymæ excidio se confectos esse idcirco putasse, quod S. Jacobo Minori necem intulissent (*b*). Tan- *An alia scripserit.*

(*a*) Vide hanc Histor. l. 9. c. 9. n. 6.

(*b*) Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 23.

dem Josephi testimonium de Jesu Christo, in Historiæ Evangelicæ calce discutietur (*a*).

ANNO MUNDI 4063. Æræ Vulgaris 60.

Porcius Festus Claudio Felici succedit.

XIX. Claudius Felix a Nerone successorem accepit Porcium Festum, cui in catenis S. Paulum reliquit, ut gratiam a Judæis, quos graviter offenderat, iniret. His tamen minime illi deliniti, Romæ contra illum accusationem instituerunt; votique compotes fuissent, nisi Nero Felicem Pallantis ipsius fratris precibus donasset. Veniens in Judæam Festus, offendit totam afflictam a latronibus, vicos passim populantibus; quorum ferocissimi, qui ad maximum numerum excreverant, Sicarii, a sicis, acinacis instar Persici, incurvis, dicebantur. Eos solicite persecutus Festus, illorum plurimos comprehendit, ac non paucos interfecit. Magum etiam quemdam, populum in desertum seducentem, repressit. Judæi autem eo pecunia corrupto, iniquum in D. Paulum animum explessent, nisi ille Cæsarem appellasset (*b*).

Inter Agrippam & Judæos de muro Templi dissidium.

XX. Anno sequenti Agrippa extruxit insigni amplitudine domum prope Porticum in Regia Hierosolymitana, quæ Hasmonæorum fuerat, sitam in edito loco, unde amœnissimus prospectus urbem contemplari volentibus patebat. Judæorum vero Proceres indignissime ferentes sacrificia & alia, quæ in Templo operantur, e privata domo spectari, altum parietem excitaverunt, quo & illius domus, & occidentalis extra Templum sitæ Porticus, in qua

(*a*) Vide hanc Histor. l. 12. c. 14. n. 12.

(*b*) Act. XXIV. 27. Antiq. l. 20. c. 7.

qua Romani milites festis diebus stationem habebant ad Templi custodiam; prospectus arceretur. His tam Rex offensus est; quam Festus. Eo vero jubente parietem dirui, Hierosolymitani Cives venia ab illo impetrata, legatos hac de re ad Neronem miserunt, inter quos Ismael summus Pontifex, & Chelcias sacri Ærarii custos. Cæsar uxoris suæ Poppææ, quæ Judæis favebat, precibus exoratus, parietem manere permisit; Poppæa vero ceteris legatis dimissis, Ismaelem, & Chelciam tamquam obsides apud se retinuit. His cognitis Agrippa Pontificatum Ismaeli ademptum Josepho cognomine Cabi, Simonis quondam summi Pontificis filio, concessit.

XXI. Festo in Provincia mortuo, Nero in Judæam Albinum misit (a). Agrippa vero amoto Josepho, ad summum Pontificatum Ananum, Annæ sive Anani, dicta in Christum mortis sententia insignis, filium evexit. Novus Pontifex ex Sadducæorum Secta, audax & ferox ingenio, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, & Albino adhuc in itinere agente, Jacobum fratrem Jesu. una cum aliis impietatis, novæ scilicet Christianorum Religionis, accusatum, occidendum curavit. Cædes Jacobi bonis omnibus displicuit, qui & Ananum apud Agrippam, & Albinum accusarunt; quare post tertium mensem ablatus ab eo Pontificatus, Jesu Damnæi filio concessus fuit.

ANNO MUNDI 4065. Æræ Vulgaris 62.

Albinus Judææ Procurator. Martyrium S. Jacobi Minoris.

(a) Antiq. l. 20. c. 8.

Agrippa Judæorum invidiam subit.

XXII. Agrippa prolatis Pomæriis Cæsareæ Philippi, mutato nomine Neronidam eam vocavit; theatrum vero apud Berytios impendiis magnis exædificatum ornavit annuis spectaculis, assignata in eum usum ingenti pecuniæ vi. Frumentum etiam donavit ei populo, & oleum viritim distribuit, totamque illam urbem statuis passim dispositis, atque expressis ad antiqua clarorum Artificum archetypa imaginibus; & omnia pene Regni sui ornamenta in eam Civitatem transtulit. Unde magnam sibi apud subditos paravit invidiam, quod suas spolians, externam urbem excoleret. Eodem jubente Rege Jesus Damnæi filius, paucis ab inito Sacerdotio mensibus, dignitatis suæ æmulum Jesum Gamalielis filium habuit; cumque sumptis armis uterque propria jura tueretur, urbemque & Templum studio partium dividerent, Agrippa utrumque exauctoravit, atque Sacerdotium Matthiæ Theophili filio contulit.

Ananias factionum promotor.

XXIII. Inter factiosos eminebat Ananias summus quondam Sacerdos, qui conciliato sibi ex divitiarum immensitate totius urbis favore, ac potissimum Albini Provinciæ Præfecti, impune omnia tentabat. Hanc, quam apud Albinum gratiam obtinebat Ananias, intelligentes latrones illi qui regionem infestabant, si quando quemquam e suis in potestatem Præfecti incidere contigisset, continuo in aliquem ex familia, sive amicis Pontificis manus injiciebant, non prius in libertatem asserturi, quam opera ejusdem Ananiæ latrones capti dimitterentur. Hinc factum est, ut grassatorum nu-

numerus auctus licentius vagaretur, totamque late regionem cædibus & rapinis complerent. Costobarus, & Saulus suam quisque circa se sceleratorum hominum manum habebat, orti genere regio, & propter Agrippæ cognationem accepti, alioqui violenti, & ad expoliandos infirmiores promptissimi.

XXIV. Ex hoc maxime tempore ruere cœpit Judæorum Respublica, & multiplici existente tunc dominatione futuri excidii semina spargebantur, quæ Albinus nedum non exturbabat, sed potius fovebat; quippe qui non solum caussis civilibus furabatur, & diripiebat singulorum bona, neque solum tributorum additamentis in commune gentem gravabat, sed etiam quos ob latrocinia decuriones Civitatum deprehendebant, vel qui a prioribus Judicibus in custodiis erant relicti, accepta a cognatis eorum pecunia, liberabat; & is solum qui non dedisset, in carceribus quasi nocentissimus detinebatur. Eorum quoque, qui res novas cupiebant in urbe, crescebat audacia. Ex quibus qui erant opulenti Albinum largitione redimebant, ut eis tumultum moventibus non indignaretur; pars autem popularis, quæ non satis gaudebat quiete, Albini participibus jungebatur. Unusquisque ergo improborum cohorte propria circumdatus ipse quidem inter ceteros quasi princeps sceleratorum eminebat. Ita fiebat ut hi quidem, quorum causa pessundabatur, tacerent; illi autem qui extra incommodum essent, metu ne similia paterentur,

Albini nequitia.

etiam officiis ambirent eos, quos dignos supliciis judicabant (*a*).

Quidam Jesus in Templum & Urbem exclamat.

XXV. Circa hoc tempus, anno scilicet Mundi 4066. vel 4067. quadriennio antequam bellum Judaicum a Vespasiano administrari cœperit, Jesus quidam Anani filius plebejus & rusticus ad Festum Tabernaculorum veniens, repente exclamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis; vox in Hierosolymam, & Templum, vox in maritos novos, novasque nuptas, vox in omnem hunc populum* (*b*). Atque hæc interdiu, noctuque clamitans, omnes urbis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum insignium adversum omen indigne ferentes, correptum hominem multis verberibus affecerunt. At ille neque pro se, neque ad eos qui ipsum mulctabant, secreto quicquam loquutus, eadem quæ prius vociferabat. Magistratus autem rati, magis divinum esse hominis motum, duxerunt eum ad Romanorum Præfectum; ubi plagis usque ad ossa laceratus, neque supplex cuidam fuit, neque lacrymavit; sed ut poterat, inclinans maxime flebiliter vocem, ad singulos ictus respondebat: *Væ væ Hierosolymis*. Albino autem interroganti, quis esset, vel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. A luctu vero Civitatis non destitit, donec eum Albinus furere judicatum dimisit. Maxime autem diebus festis vociferabatur: idque per annos septem faciens, neque voce raucior factus, neque dilas-

(*a*) Antiq. l. 20. c. 8. De Bello l. 2. c. 23.

(*b*) De Bello l. 2. c. 24.

lassatus. Tandem obsidionis tempore, perspecta auguriorum veritate, supra murum Urbis circumiens, iterum clamabat: *Væ væ Civitati, Templo, & Populo*. Cum autem ad extremum addidisset: *Væ etiam mihi*, lapis tormento missus eum peremit.

XXVI. Futuri excidii indicia aliis quoque monstris ostensa fuere. Die festo Azymorum anno 4068. hora nona nocturna, circa Aram, Templumque tantum luminis effulsit, ut per dimidiæ horæ spatium clarissimus dies putaretur. Bos pariter, cum ad hostiam duceretur, agnum in medio Templi peperit. Orientalis præterea porta interioris Templi, quamvis ænea atque gravissima, ut vix a viginti viris moveretur, eamque seræ ferro vinctæ clausam tenerent, visa est noctis hora sexta sua sponte patescere. His autem Magistratui nuntiatis, ascendit ille, vixque eam potuit claudere. Brevi post tempore ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus tota provincia, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ. Festo denique Pentecostes, nocte Sacerdotes intimum Templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt, postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret: *Migremus hinc* (*a*).

Excidium aliis indiciis portenditur.

Anno Mundi 4067. Æris Vulgaris 64.

XXVII. Interea Cestius Gallus Præses in Syriam, Gessius vero Florus Procurator in Judæam a Nerone missus est. Porro Florus erat vir impudentissimus, animo, si quis alius, efera-

Gessius Florus Albinum excipit.

S 4

(*a*) Joseph. de Bello l. 7. c. 12.

ferato, pecuniæ quibuscumque artibus parandæ studiosissimus, ac tandem in Judæos ad excessum immitis. Uxor autem eo viro dignissima Cleopatra fuit; quæ per Poppæam uxorem, seu concubinam Neronis, marito Præfecturam impetraverat. Nullus aptior Procurator deligi poterat, sub quo Judæorum patientia ad ultimas angustias redacta, in apertam seditionem contra Romanos erumperet. Albinus, audito Florum sibi successorem venire, productis vinctis, quotquot erant in culpa manifeste capitali, jussit interimi, reliquos vero pecuniis mulctatos dimittebat alium post alium. Atque in hunc modum vacuato carcere, Judæa repleta est latronibus (*a*),

Linea vestis Levitis conceditur.

XXVIII. Agrippa usum lineæ vestis, solis Sacerdotibus reservatum, Levitis musicæ Templi destinatis de Concilii sententia concessit, ratus hanc novationem ad perennandam sui Regni memoriam plurimum conferre. Cumque alii Levitarum aliis Templi muneribus essent addicti, permisit ut hi quoque musicæ navarent operam, quo lineæ vestis privilegio cum ceteris uterentur.

Flori improbitas.

XXIX. Josephus historicus magnis a Poppæa Augusta donatus muneribus, in patriam rediens, ibi deprehendit, novarum rerum studia gliscere, multosque ad defectionem spectare: quos a tam infelici proposito frustra ille deterrere conatus est. Adeo enim violenter potestate sua Florus est abusus, ut Albinum Judæi desiderarent, quasi beneficum. Nam ille

(*a*) Antiq. l. 20. c. 9.

le quantum poterat, clam erat malus & nocens; Florus contra quasi ad ostendendam missus malitiam, publice traducebat gentis injurias; quarum adeo nullus erat vel modus vel finis, ut miseri Judæi cogerentur relictis laribus, & patriis cæremoniis ad exteros fugere, judicantes ubivis etiam apud barbaros se vivere posse commodius. Illud autem nullo modo ferre poterant Judæi, prædones scilicet universam provinciam infestantes, Flori clientela, prædam cum illo partientes, comparata, impune grassari.

XXX. Cum Cestius occasione festi paschalis Hierosolymam venisset, Judæorum in Florum querelis auditis, Procuratorem in posterum æquiorem in eos futurum promisit. Verum Florus in veteri studio semper permansit, gliscentis defectionis igni faces sciens, volensque subjiciens. Cum enim se atrocissimis suppliciis afficiendum nosceret, si ipsius flagitia inquirerentur, nihil non movit, ut quam contra ipsum Judæi apud Cæsarem instituere possent accusationem, ipsi, arma in Romanos capientes, in suum caput, majore scelere exigente, transferrent. Cestius nondum Hierosolymis digressus, cum omnia ad defectionem disposita videret, numerum eorum, qui ad festum paschale convenerant, supputari voluit; ut eo ad Neronem misso, intelligeret Imperator, rem sibi cum gente futuram, quam immerito contemneret. Pontifices igitur jussit, ut si quomodo possent, multitudinem numerarent. Illi autem præsentis temporis usi bene-

Anno Mundi 4069. Æræ Vulgaris 66.

Judæorum census.

nefi-

neficio, quando a nona hora usque ad undecimam hostias cædebant, agnos immolatos numeravere 257600. ad quos comedendos decem, & aliquando viceni Judæi ab omni legali impuritate expiati per singula contubernia conveniebant. Porro Agnorum summa singulis agnis decem tantum convivis assignatis 2556000. Judæos exhibet. Josephus eos 300. myriadibus, sive tribus millionibus non pauciores fuisse putat (*a*).

Bellum Judaicum erumpit. Cestius Hierosolymam frustra petit. Urbis illius status. Vespasianus in Galilaam venit, cui Josephus post amissam Jotapatam se permittit. Judaorum divisio. Zacharia cades. Vespasianus ad Imperium evectus Tito Judaicum bellum committit. Hierosolyma obsidio, in qua fames & lues grassantur. Templum inceditur, Urbs solo aquatur. Elia Capitolina. Hierosolymorum descriptio. Vespasiani & Titi de Judæis triumphant. Mortuorum numerus. Templum Onion clauditur. Agrippa Judaorum excidio superstes.

CAP. VIII.

ANNO MUNDI 4069. Æræ Vulgaris 66. *Judæi in Romanos rebellant.*

I. MEnse Majo anni 4069. qui cum Neronis Imperii duodecimo, Agrippæ Regni decimo septimo, & Flori præfecturæ secundo coincidit, bellum diu fotum, tandem exclusum est; cui & illud occasionem præbuit, percrebuisse nempe Oriente toto veterem & con-

(*a*) Joseph. de Bello l. 2. c. 13. & l. 7. c. 17.

constantem opinionem, esse in fatis, ut eo tempore Judæa Profecti rerum potirentur. Id de Messia fuerat interpretandum, quamvis Ethnici, & ipse Josephus historicus Vespasiano eadem in regione ad Imperium postea evecto, attribuere maluerint. Verum Judæi ad se illud trahentes, rebellarunt, inquit Svetonius (*a*). Judæi igitur frustra per Agrippam a bello dehortati, postquam illum Hierosolymis fugere compulissent, Massadam castellum munitissimum fraude occupant, & Romanos, qui isthic erant, omnes interficiunt. Hierosolymis autem Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, Templique Præfectus, juvenis audax, & factiosus, persuasit Sacerdotibus, ut nullius, nisi Judæorum hostias admitterent, ne illas quidem, quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant. Hæc cum Principes Civitatis, quietis amantes, temeraria judicarent, & argumentum apertæ defectionis esse viderent, nec possent tamen seditiosos a sententia dimovere, legatos ad Florum & Agrippam mittunt, rogantes, ut propere, missis copiis, seditionem in sui ortu præfocent. Florus, qui Judæorum defectionem volebat, id neglexit. Arippa autem misit mille equites, qui superiorem Civitatem cum Optimatibus, Pontificibus, ceteraque multitudine, quæ optabat quietem, occuparunt adversus seditiosos, qui Templum & infe-

(*a*) In Vesp. c. 4. Vi- c. ult. & de Bello. l. 2. de Tacit. Histor. l. 5. c. c. 13. 10. Joseph. Antiq. l. 20.

inferiorem Civitatem tenebant, per septem continuos dies invicem confligentes. Sed eo die, quo ligna pro Templi ministeriis comportabantur, ex sicariis multi in Templum recepti cum ceteris, vim regiis militibus faciunt, & civitate superiore pellentes eos in superiorem Herodis Regiam, incenso Archivo, Agrippæ, sive Hasmonæorum palatio, & Ananiæ Pontificis domo, se se recipere cogunt. Post hæc arcem Antoniam obsessam per biduum capiunt, militibusque Romanis interfectis, incendunt. Regiam paulo post impetunt aucti Manahemo, Judæ Galilæi filio, qui veniens Massada expugnata & incensa, sublatoque Anania summo Pontifice, ejusque fratre Ezechia, regalem vestem induit. Verum mox ab Eleazaro Templi Præfecto interficitur, ejusque stipatores disjiciuntur, & Massadam, unde venerant, repetunt, duce Eleazaro Jairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui Regia expugnata receperant se in turres Hippicon, Phasaelum, & Mariamnem, obsessos, tandem se dedentes, seditiosi ipso die Sabbati, contra fidem datam, omnes inermes interficiunt (*a*).

Ingens Judæorum numerus interficitur.

II. Eodem tempore Cæsareæ Judæi omnes illuc habitantes, ab Ethnicis Cæsariensibus instigante Floro, interfecti sunt numero 20. millia. Hinc exacerbati per universam Regionem Judæi Syrorum vicos, & civitates finitimas depopulati sunt; haud tamen impune, nam per omnes vicissim urbes Judæorum a Syris cædes pro-

(*a*) De Bello l. 2. c.32.

promiscuæ, partim ex veteri in Judæos, eorumque Religionem odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate, patratæ sunt. Soli Antiocheni, Apameni, & Sidonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandriæ autem Ægypti Metropolis excitata seditione 50. Judæorum millia, uno die immissis in eos duabus legionibus, interfecta fuerunt.

III. His motibus excitatus Cestius ex Syria in Palæstinam cum exercitu venit, primoque impetu Galilæam opera Cesennii Galli recepit, simulque in itinere Lidda & Joppe captis, prope Gabaon, sex milliaribus ab Hierusalem, castrametatus est. Judæi festi Tabernaculorum religione nihil detenti, tanto impetu in illum procurrerunt, ut Romanorum exercitus fere inclinaret. Totis tribus diebus Cestius immotus permansit, veritus ne si evadere tentaret, a Judæis, quibus obsidebatur, illæsum exercitum reducere non permitteretur. Interim facta ab Agrippa Judæis spe obtinendæ a Romanis veniæ, si arma ponerent, ac propterea oborto inter illos dissidio, Cestius divisos adortus facile fudit, fugientesque Hierusalem usque persequutus est. Post victoriam tribus diebus in loco, cui nomen *Scopos*, specula, septem circiter stadiis ab urbe substitit, quasi Judæorum deditionem expectans. Postridie 30. Octobris, ordinato in prælium agmine processit, tantumque Hierosolymis terrorem injecit, ut primo munitionum ordine relicto, omnes ad interiora Urbis & Templi confugerint, quid quid interjaceret urbis,

ANNO MUNDI 4070. Æræ Vulgaris 67.

Cestius in Hierosolymam movet.

bis, victoris potestati, & igni ab eo injecto relinquentes. Bellum facile ea die Cestius capta urbe confecisset, nisi persuasionibus quorumdam, quos forte Florus submisit, ab insequendis Judæis aversus fuisset (*a*).

Cestius Hierosolyma recedit.

IV. Subsequentibus diebus exploravit mœnia, quo facilius superari possent: quæ ubique valido præsidio munita inveniens, tandem die sexta, 5. Novembris, unam ex Templi januis adortus, eo processit, ut jam jam de deditione facienda populus cogitaret. Sed Cestius inopinato exercitum revocavit, atque ad castra in Scopum reversus est. Recedentibus Judæi institerunt, nec frustra, cum plures equites, peditesque excidissent. Cestius e Scopo exercitum movens, ut ad priora castra prope Gabaon regrederetur; agmen postremum, ac latera infestantibus Judæis gravi cæde affectus, & plerisque impedimentis amissis, tandem eo pervenit: ubi incertus biduo commoratus, postremo hostium numero in dies crescente, relictis impedimentis & oneratiis bestiis occisis, præter eas, quæ armis, & machinis ferendis essent, rursus iter cœpit. Judæi Romanos fugientes primo levioribus præliis insequuti, tandem ad angustias in descensu quodam redactos, omnibus viribus adorti sunt. In eo prælio ex Romanis ad 4000. peditum, & equites 400. cecidere. Reliqui noctis favore Betheron se receperunt. Cestius omnia a Judæis occupata cernens, non expectata luce castra movit, relictis ad hostes fallendos 400. militibus, qui

(*a*) De Bello l. 2. c.37.

qui in domorum solariis clamitantes specimen exercitus præberent. Oborta luce Judæi cognita fraude postquam illos milites trucidassent, reliquos persecuti sunt; quos tamen magnis itineribus fugientes assequi minime potuerunt. Machinæ a Romanis in fuga relictæ, & a Judæis occupatæ, magno deinde usui adversus Titi obsidionem fuerunt (*a*).

Hierosolymæ status.

V. Hac victoria elati Hierosolymam reversi, urbis Præfectum creant Josephum Gorionis filium, & Ananum Pontificem, belliquè duces varios & multos in singulas Provincias dimittunt, atque inter eos Josephum, belli hujus Scriptorem, in Galilæam amandant. Porro multi adversus eum motus, multæ & frequentes urbium rebelliones excitantur arte & fraude nonnullorum, qui Galilææ Præfecturam illi invidebant. Verum eorum omnes conatus fregit, atque elusit Josephus. Hierosolymis autem Ananus omnia ad sustinendum bellum necessaria parat, mœnia instaurat, bellica instrumenta, tela & arma curat fabricari per totam urbem. Zelotas etiam conatur ad sanam mentem revocare, sed frustra. Simonem Gioræ filium latrocinia exercentem, & tyrannidem affectantem, misso milite comprehendi jubet. At is cum suis ad latrones, qui Massadam tenebant, confugit, unde illi totam Judæam, & Idumæam infestabant. Interim Cestius missis ad Neronem, qui tunc in Achaja erat, Legatis statum Judææ renuntiat,

(*a*) De Bello l. 2. c. c. 10. Sveton. in Vesp. 39. Tacit. Histor. l. 5. c. 4.

tiat, omnique excitatæ seditionis invidia Florum onerat. Post hæc Cestius obiit, & de Floro altum est silentium.

Vespasianus in Galilæam venit.

VI. Nero audita Judæorum defectione, Vespasianum eo destinat (a). Vespasianus autem hoc accepto mandato Titum filium Alexandriam mittit, ut inde duas Legiones in Judæam adduceret; ipse vero pedestri itinere ex Achaja in Asiam transmittit, atque inde in Syriam veniens, Antiochiæ Agrippam suis copiis illi opitulaturum obviam habuit. Pergit deinde Ptolemaida, Sepphorimque Romanis faventem recipit. Interim Titus Alexandria Ptolemaidem ad patrem pervenit; quo copiæ Romanæ cum Regum auxiliis conveniunt, numero 60. millia tum peditum quum equitum, calonibus exceptis, lixisque. Vespasianus Galilæam invadens, Gadarensium urbem primo impetu captam incendit, & vastat. Inde Jotapatam die 21. Maji veniens, eam oppugnare cœpit, ratus illa devicta, captoque Josepho, qui illam defendebat, brevi se tota Galilæa potiturum. Aggressionem exorsus, præter spem hostes fortiter resistentes nactus, obsidionem formare coactus est. Verum Judæi assiduis eruptionibus machinas absumentes igne, evertentesque opera, eo coegerunt Vespasianum, ut urgere Civitatem fame, sitique statueret; norat enim aquarum penuria cives laborare. Præcidendam eam spem hostibus volens Josephus, e pinnis murorum suspendi curavit vestes plures, multa aqua intrisas; cujus

(a) Joseph. de Bello l. 3. c. 1. &c.

jus rei aſpectus admiratione primum, tum & dolore Romanos affecit; quare vi iterum tentandam urbem cenſuerunt.

Jotapata a Veſpaſiano capta, Joſephus victori ſe permittit.

VII. Veſpaſiano igitur jubente, machinæ omnes in urbem adactæ ſunt, ſæpiuſque ductæ ad aggreſſionem copiæ, quarum virtutem virtute retundebant Judæi. Ita cives Jotapatæ prorogatam 47. diebus obſidionem ſuſtinuerunt. Interea Japha urbs Jotapatæ finitima expugnatur a Trajano, eodem facile qui poſtea Imperator fuit. Cui quidem victoriæ finem impoſuit Titus. Samaritani autem numero undecim millia & ſexcenti in montem Garizim convenientes, quamdam belli ſpeciem præſeferebant; quos Cerealis eodem tempore a Veſpaſiano miſſus, delevit. Porro transfugæ unius proditione invicta urbs Jotapata, tandem cedere hoſtibus coacta eſt. Veſpaſianum transfuga fecit certiorem de raro propugnatorum, qui ſupererant, numero, expoſuitque, opportunam innovandæ aggreſſioni horam futuram primo diluculo, cum ſcilicet defenſores prolixa & obſtinata obſidione viribus deſtituti, omnes ſomno detinerentur. Indicata igitur hora Præfecti nonnulli, addita ſelectiſſimorum manu, tacite ſe ſe inſinuarunt, nactique ſopore demerſos omnes, primos vigiles trucidarunt, tum & paria inferentes in cuſtodes arcis, arce potiti ſunt. Succeſſit deinde reliquus exercitus, lateque ſævientes in miſeros cives ad 40000. trucidarunt. Captivi in hoſtium poteſtatem venerunt 1200. turba facile mulierum, & infantium. Joſephus ad ſpecum im-

perviam confugerat, ubi 40. viros latitantes invenit. Triduo post invento, Vespasianus, modo se dederet, virtutem illius demiratus, salutem obtulit, cujus fidem primo verens, tandem manus dedit; quare eum sociorum impetum in se concitavit, ut vel per se, vel per ipsos ei moriendum conclamarent. Ille vero vitam sibi adimere omnibus cautum, idque non virtuti sed timiditati tribuendum, ostendens, reluctantes nihilominus eo tandem adduxit, ut mutuas cædes singulis sustinentibus, cui primo obtigisset manu subsequentis successive occumberet. Actum est; jamque omnibus se præter & alium, sortito enecatis, illi, ut viveret, nullo negotio persuasit. Se igitur Vespasiano permittens, ab eo ad Neronem mittendus asservabatur; quod ubi eum non latuit, Vespasianum alloqui obtestatum, omnibus præter Titum & duos amicos, summotis, in sui conspectum adductum Vespasianus audivit. Audivit autem sibi ac Tito filio suo, post Neronem & brevem quorumdam illius successorum principatum, imperium prænunciari: cui vaticinio ut fides facile præstaretur, Josephus suæ captivitatis Jotapatenis diem prædixisse asseruit; quod quidem a captivis Judæis Vespasianus compertum habuit (*a*).

Aliæ Vespasiani victoriæ.

VIII. Excisa Jotapata Vespasianus exercitum Ptolemaidem, ac deinde Cæsaream reducit; atque isthic partem illius collocat, ut se ab

(*a*) De Bello l. 3. c. 5. Dio, l. 60. 24. &c. Svet. in Vesp. c.

ab obsidionis labore reficerent, partem eodem consilio & fine Scytopolim mittens. Ipse autem Cæsaream Philippi proficiscitur, ubi ab Aripppa Rege cum exercitu per viginti dies convivio exceptus est (*a*). Tum ad Tiberiadis, & Tarichææ obsidionem se parat. Et Tiberienses quidem statim se dederunt, ac precibus Agrippæ data est Civitas, ne excideretur. Tarichæa autem cum passa esset se obsideri, vi capta, excisa est. Paulo post mons Itaburius sive Tabor, quo multi Judæorum se se receperant, atque munierant, captus est. Gamala etiam in Gaulanitide obsessa per mensem, cessit, atque deleta est. Supererat in Galilæa Giscala, quam Joannes, Levi filius, tenebat. Hanc Titus aggreditur; a quo oblatas pacis conditiones Joannes simulat se accipere, sed nocte sequente cum suis clam urbe effugit, & Hierosolymam se recipit. Titus urbem capit, eique parcens, Cæsaream Palæstinæ venit. Vespasianus autem ex eadem urbe Jamniam, & Azotum profectus, utramque subegit, Cæsareamque rediit (*b*).

IX. Interim per totam Judæam dissensio oritur, aliis bellum cupientibus, aliis vero in Romanorum fide permanere volentibus. Inde latronum globi, & cunei undequaque excitantur, qui prædas ex iis agebant, qui pacis studio tenerentur; prædis vero onusti Hierosolymis recipiuntur, ibique omnia rapinis, & cædi- *Divisio inter Judæos.*

T 2 bus

(*a*) De Bello l. 3. c. 32. &c.

(*b*) De Bello l. 4. c. 10. &c.

bus complent. Ac primo quidem Antipa, aliosque viros in Civitate principes, vinculis constringunt, moxque indicta causa necant, obtendentes, voluisse eos urbem Romanis prodere. Cumque populus vellet in illos insurgere, Templum statim occupant, eoque, tamquam arce, adversus populum utuntur, jusque sibi eligendi Pontifices arrogant; quare exauctorato Matthia, Theophili filio, Phanniam virum rudem & imperitum, tantique honoris indignum, jactis sortibus, illi sufficiunt. Fa-ctiosi illi sortium usum in hujusmodi electionibus obtinuisse contendebant; immerito tamen, nam ordo quidem familiarum sacerdotalium pro Templi ministeriis sortito distribuebatur (*a*); Sacerdotium vero numquam. Porro Phannias erat ex familia Aniachim, qui forte idem est cum Jachim (*b*), inter familias sacerdotales duodecima.

Idumæi Zelotis junguntur.

X. Adversus hos Zelotas Ananus, & nobiliores Sacerdotes populum armant, eosque in ipso Templo oppugnantes, in interiorem illius partem, in atrium scilicet Sacerdotum, compellunt, ibique obsident, a cædibus loci Religione prohibiti. Cum Zelotæ Idumæos accersissent sub obtentu defendendæ urbis contra Ananum, quasi secreto cum Romanis conspirasset, Ananus clausis foribus illos numero 20000. prohibuit. Verum Idumæi noctu magnæ procellæ ingruentis occasione in urbem per-

(*a*) 1. Par. XXIV. 7. (*b*) 1. Par. IV. 4. Luc. 1. 9.

pervadentes junguntur Zelotis, quibuſcum cædibus, incendiis, rapinis omnia miſcent. Ipſum vero Ananum deprehenſum trucidant, ac mortui corpus honore ſepulcri deſtitutum, beſtiis devorandum exponunt. Idem fatum Jeſus, Gamalielis filius, qui ſummum Sacerdotium olim obtinuerat, ſortitus eſt. Viginti millia tunc ex nobilioribus, præter vilem plebeculam, deſiderata ſunt.

XI. Zacharias filius Baruch (*a*) iniquitatis & injuſtitiæ hoſtis erat, patriæque Libertatis propugnator acerrimus. Zelotes, morte ipſius, veluti ſibi infenſiſſimi, ditiſſimique, & maxime pollentis, deliberata, quamdam tamen judicii ſpeciem ad ejus damnationem ſervare voluerunt. Lectis igitur ſeptuaginta Judicibus, veluti quadam Synedrii, & Senatus imagine, Zachariam in judicium vocatum, conjurationis in patriam, per ipſum Romanis prodendam, inſimularunt: cujus tamen delationis nec argumenta, nec indicia ulla producta ſunt. Zacharias conſpirantes ad ſui necem hoſtes, nec ullum ſibi ab eorum manibus effugium ſupereſſe cognoſcens, minime periculo territus, novoque ſpiritu confirmatus, brevi oratione calumniis confutatis, hoſtium ſuorum crimina, & turbas gravibus verbis expoſuit. Zelotes interim, licet eo furore abroderentur, ut difficile ſe continerent, tamen ut in propoſito ſtarent, ſeptuaginta Judicibus ſententiam ferre conceſſerunt: qui Za- *Zacharias occiditur.*

(*a*) De Bello l. 4. c. 19.

chariam objecti criminis insontem communi suffragio declararunt. Hoc audito, Zelotes furibundo clamore sublato, sicarios duos misere, qui in ipsum irruentes, medio in Templo interfecerunt, mortuo adhuc his verbis insultantes: Hanc nunc habe absolutionem priore certiorem. Tum illius cadaver in vallem, cui Templum imminebat, projecerunt. Plurium Eruditorum sententia est, Zachariam hunc filium Baruch, seu Barachiæ, eum fuisse, quem Christus in Evangelio laudavit (*a*).

Idumæi a Zelotis discedunt.

XII. Idumæos tandem facti pœnitentia subiit, cum Zelotarum scelera vidissent, nec proditionis, cujus Optimates accusabantur, indicium ullum deprehendissent. Itaque solutis, ad duo millia, iis qui vincti tenebantur, domum, urbe relicta commigrant. His abeuntibus Zelotæ rursus in Cives nobiliores sævire incipiunt crudelius quam antea, viisque obsessis transfugere volentes diligenter observabant, necatosque insepultos projiciebant.

ANNO MUNDI 4071. Æræ vulgaris 68.

Vespasianus omnia circa Hierosolymā occupat.

XIII. His excitatus Vespasianus, motus etiam vocibus transfugarum, quibus eum ad levandam patriam hortabantur, accingit se ad Hierosolymorum obsidionem, & ne quid hostile post se relinqueret, ad reliquias belli & tumultus in transjordanicis extinguendos, Gadaram cum exercitu venit, eo accitus a moderatoribus Civibus, atque inde diffugientibus seditiosis urbem capit, missoque Placido cum equitatu ad persequendos fugientes, obtrun-

(*a*) Vide hanc Histor. l. 13. c. 3. n. 7.

truncat omnes, totamque trans amnem regionem ad lacum usque Asphaltitem, præter Macherunta, occupat; constitutoque præsidio Cæsaream regreditur, ubi & hyemem agit. Instante autem vere, milite Cæsarea educto, Judæam pervadit totam, atque Idumæam, eaque reducta, copias per Samariam Jerichunta ducit, unde incolæ in oppositam Hierosolymis montanam regionem diffugiunt; sed eo persecutus, iisque disjectis, Jerichunte, atque alibi castris constitutis Judæos undique cingit.

XIV. Interim Nero 9. die Junii mortem sibi conscivit. Quod cum Vespasianus audisset, bellum quod in Hierusalem parabat, distulit, Titumque ad Galbam, qui Neroni successerat, mittit, ut ab eo mandata de bello Judaico accipiat. Titus in Achajam navi advectus, audit Galbam interfectum, itaque statim ad patrem Cæsaream redit. Suspensi ergo, quasi nutante Imperio, bellum differebant; patriæque metuentes, alienigenas aggredi opportunum minime existimabant. Post Galbam assumptus Vitellius, qui Coloniæ versabatur, assumptus & Otho Romæ degens; sed Othone victo, atque rei desperatione nece sibi illata, soli Vitellio Imperium mansit. Porro Galba novem menses, Otho vero tres regnarunt.

Neroni succedit Galba, Galbæ Otho, & Vitellius.

ANNO MUNDI 4072. Æræ Vulgaris 69.

Vespasianus ad Imperiũ evectus Tito bellum Judaicum committit.

XV. Sub hæc Tiberius Alexander Præfectus Ægypti omnium primus in verba Vespasiani Legiones adegit Kalend. Junii 4072. quarum exemplum exercitus Cæsareæ 8. idus ejusdem

dem mensis apud ipsum secutus est. Vespasianus relicta Cæsarea Berytum venit, ubi coacto cœtu, & cunctis audientibus, Josephum laudavit, donavitque libertate, ac ipsius vincula non solvit modo, verum etiam contrivit (a). Antiochiam progressus est, unde Mutianum cum copiis in Italiam mittit, ipse vero Alexandriam proficiscitur. In Mæsia autem Antonius primus Vespasiani partes secutus, adversus Vitellium in Italiam venit; commissoque ad Cremonam prælio, hostes fudit, cæditque; tum Romam veniens, & Mutiano junctus in media urbe, Vitellii exercitum fundit, ipsumque Vitellium per medium forum tractum jugulat. Mutianus Domitianum Vespasiani filium, dum pater ex Syria advenit, Principem constituit. Vespasianus his Alexandriæ auditis, toto belli Judaici pondere in Titum translato, in Italiam navigat (b).

Trifariam Judæorum factio dividitur.

XVI. Interim Hierosolymorum factio trifariam dividitur. Nam Simon filius Gioræ, qui, servis ad libertatem vocatis, liberisque præmium pollicitus, totam Idumæam sibi subjecerat, Judæamque vastabat, accitus ab Hierosolymitanis opera Matthiæ summi Pontificis, adversus Zelotas, ipsos in Templo aggressus est (c). Recepto tamen plusquam illato hostibus incommodo, recedens, vim omniem

(a) Tacit. Hist. l. 2. c. 79. Joseph. de Bello l. 4. c. 38.

(b) De Bello l. 6. c. 5.

(c) De Bello l. 7. c. 30.

mnem in cives vertit, quibus nedum dominum, sed & tyrannum se exhibit. Porro hic superiorem tenebat civitatem, & inferioris partem aliquam. Joannes autem, qui ex Giscalis Hierosolymam profugerat, cum suis Zelotis Templum & inferioris civitatis partem aliam occupabat. Zelotarum autem factio in duas rursum scinditur. Nam Eleazarus, qui ab exordio fuerat Zelotarum dux atque rector, ægre ferens, Joannem audacia & artibus suis imperium ad se traxisse, omniaque jam pro arbitrio agere, atque administrare, ab eo, adscitis secum nonnullis aliis, secedit, & cum suis interius Templi septum, Atrium scilicet Sacerdotum, occupat, atque inde adversus Joannem depugnat, numero quidem sequacium inferior, sed loci situ, & qualitate superior (a). Ita Joanni, qui Templi exteriorem ambitum porticusque tenebat, duplex incumbebat bellum, alterum adversus Eleazarum, alterum vero adversus Simonem. Et sic quidem alii adversus alios pugnantes, pleraque ad victum necessaria, quæ circa Templum erant, corruperunt, incenderuntque; quare fame postea, cum a Romanis obsiderentur, oppressi sunt. ANNO MUNDI 4073. Æræ Vulgaris 70.

XVII. Titus autem Alexandria Cæsaream profectus, atque isthic coactis copiis, quatuor nempe legionibus cum Regum vicinorum auxiliaribus, Hierosolymam contendit, contraque eam sexto, septimoque stadio castra *TitusHierosolymã obsidet* *Judæorum factio bipartita.*

(a) De Bello l. 6. c. 1.

ſtra ponit, paulo ante Azymorum feſtum; eoque infinitam hominum multitudinem, quæ ad ſolemnitatem illam de more aſcenderat, in Civitate concludit, a qua alimenta, & victui neceſſaria brevi conſumpta ſunt omnia (*a*). Ipſo autem die feſto Azymorum cum Eleazarus qui Templum interius occupaverat, populo ſacrificare volenti portas aperuiſſet, Joannes temporis opportunitate uſus ſubmittit cum populo de ſuis non paucos, qui ſub veſte occulte armati, Eleazarum, ejuſque aſſeclas invadunt, interiuſque Templi ſeptum occupant. Atque ſic factio, quæ prius tripartita erat, ad duas redit, alteram ſcilicet Joannis, quem 8400. virorum ſequebantur, alteram vero Simonis, quo cum erant 10000. hominum, & præterea Idumæorum 5000. Titus autem propius ad mænia accedens, juxta turrem Pſephinam caſtra ponit, & aggere propere jacto, ariete murum quatit, atque dejicit, & in urbem prærupto priore muro, cedentibus intro Judæis, irrumpit quinto nonas Majas, atque totam ſeptentrionalem urbis regionem, uſque ad Antoniam arcem, & vallem Cedron, occupat. Quinto poſt die turri quadam ſecundi muri a plaga ſeptemtrionali ariete concuſſa atque dejecta, urbe nova inferiori potitur; a qua ſtatim repulſus a Judæis, quarta tamen poſt die, eam rurſus occupat, ſeque ad tertii muri oppugnationem accingit. Itaque 12. die Maji quatuor

(*a*) De Bello l. 5. c. 11.

tuor aggeres jaci jussit, duos ad Antoniam, qua Templum, totidem ad Joannis Pontificis monumentum, qua superiorem Civitatem capere se posse sperabat. Et ad Antoniam quidem Joannes, ad Joannis autem monumentum Simon Romanis resistebat (*a*). Aggeribus illis corruptis, & incensis a Judæis, visum est Tito novos erigere, urbemque muro circumdare, ne quis ex ea effugere posset, neve quid in eam inferri. Itaque tridui spatio urbem muro circumvallavit, ambitu 39. stadiorum, additis per circuitum 13. castellis, ambitum 10. stadiorum complectentibus.

XVIII. Fames in urbe invaluit, sævissimeque grassata est, ita ut ea, non plebs dumtaxat, & populus passim occumberent, sed ipsi etiam seditiosi premerentur: tantusque fuit fame, & ex fame orta lue, pereuntium in urbe numerus, ut a 14. die Aprilis, quo cœpta est obsidio, ad Kal. Julii, per unam portam, teste quodam Nannæo transfuga, elata sint pauperum 115800. cadavera, quæ sumptu publico humabantur; præter eos, quos propinqui, & familiares sepeliebant. Paulo post ab aliis transfugis cognitum est, 600000. funerum portis esse elata. Denique cum efferendis pauperibus sufficere amplius non possent, vacuas domos pro sepultura eligebant, congestisque in ingentes cumulos cadaveribus ædes claudebant. Sepultura autem eorum, qui efferebantur, alia non erat nisi quod de

Urbs fame & lue vexatur.

(*a*) De Bello l. 5. c. 31.

de muris in subjectas valles ea projiciebant.

Memorandum famis exemplum.

XIX. Horrendum tunc, & memorandum famis exemplum editum est. Maria filia Eleazari, illustri genere Matrona sub initium Romanorum cum Judæis belli, Hierosolymam una cum viro, & filio infante se recepit, ubi hostium obsidionem cum ceteris sustinere coacta. Accidit interea, ut vir ejus facta ab obsessis in aggressores eruptione, trucidaretur; illa vero facultatibus omnibus a Zelatoribus expoliaretur; quare ad extremum redacta, dies nonnullos egit impasta; tamdem fame adigente ad ultimam desperationem deveniens, filium abreptum occidit, ejusque carnes in cibos decoxit. Cibi odore acciti Zelotæ statim ad illam cucurrerunt, ut cibum apponeret, exigentes. Nec femina cunctata, partem, quam servaverat occisi filii protulit, illos, ut comederent, indignabunda adhortata; neque enim, ait, delicatiores vos femina, & matre indulgentiores reor (*a*).

Matthias summus Pontifex interficitur.

XX. Interim Simon cædibus, & rapinis omnia miscebat, ipsumque Matthiam Pontificem jam exauctoratum, cujus opera in urbem admissus fuerat, proditionis insimulatum, quasi ad Romanos vellet transfugere, cum tribus filiis, aliisque sexdecim & nobilioribus populi indemnatos necavit. Joannes autem necessitate adactus res sacras, Temploque addictas in proprium & prophanum usum convertit (*b*).

XXI.

(*a*) De Bello l. 7. c. 8. (*b*) De Bello l. 5. c. 33.

XXI. Kalendis Julii muro Antoniæ arietem admovere cœperunt Romani; eoque concusso, die quinto in arcem frustra repugnantibus Judæis irrumpunt, indeque in Templum illos refugientes insequuntur. Ibi ab Judæis aliquandiu repulsi sunt Romani; sed tandem die 17. Julii, qua in Templo juge Sacrificium Ministrorum penuria cessavit, (*a*), frustra seditiosos per Josephum Titus adhortatus ad deditionem, septimo post die admotis aggeribus, quorum materia e centesimo stadio comportabatur, factaque via per eversa Antoniæ fundamenta, Porticus septentrionalem, & occidentalem exterioris septi Templi occupat; quarum pars quæ Antoniæ jungebatur, a Judæis incensa fuerat, & diruta, pars altera biduo post a Romanis incenditur 24. die Julii, Judæis incendium haud prohibentibus, quo Porticus ab Antonia omnino dirimerentur. Die autem 27. ejusdem mensis Judæi rursus occidentalem Porticum cum Romanis nonnullis, qui in eam, refugientibus ultro Judæis, ascenderant, exurunt. Postera vero die Romani septentrionalem totam incendunt. Octavo autem Augusti die, cum nec arietibus pulsando interioris septi murum quicquam promoveret Titus, neque portarum fundamenta suffodiendo, propter lapidum magnitudinem, validamque juncturam, neque scalis in Porticus ascendere possent Romani, Judæis desuper fortiter repugnantibus, quod distule-

Templum & Urbs incenduntur.

(*a*) De Bello l. 6. c. 8.

ſtulerat, loci reverentia motus, tandem necessitate coactus, interioris Templi septi portis ignem admoveri jussit; quibus incensis simul junctæ illis Porticus inflammantur, spectantibus, & præ stupore non prohibentibus Judæis. Cumque decrevisset Titus Templum ab incendio servare, id tamen obtinere non potuit. Die enim 10. Augusti, cum Romani, qui in interiori septo excubabant, a Judæis lacessiti, impetum in eos fecissent, qui ignem interioris septi extinguebant, eosque in ipsum Templum compulissent, Romanus miles, rapto ex incendio titione, a socio sublatus in humerum per fenestram auream ignem in cellas circa Templum regnantes a septemtrionali parte injecit; quo Templum ipsum illis junctum, frustra Tito incendium restingui jubente, incensum est eodem mense, eodemque mensis die, quo a Nabuchodonosore flammis fuerat absumptum (*a*). Expilato incensoque Templo, signa in orientali Templi porta constituuntur, peractoque ibi diis sacrificio, Titus ab exercitu Imperator proclamatur. Seditiosos deinde, qui in superiorem Civitatem confugerant, de ponte, quo Templum civitati conjungitur super Xixtum, Interpretis opera, ad deditionem cohortatus, cum recusarent se illius fidei committere, licet vitam illis indulgeret, postularentque, ut sibi cum liberis, & uxoribus in desertum secedere permitteret, extremum illis denuntiat

(*a*) De Bello l. *6.* c. *26.*

tiat interitum, totamque inferiorem urbem, & Acram quam occupaverat, jussit incendi. Superiorem autem Civitatem in prærupto undique loco sitam oppugnare orsus est, perfectisque, quos a die 20. Augusti jaci cœperant, aggeribus, die 7. Septembris machinas mœnibus admovet; apertoque muro, diffugientibusque Judæis postera die irrumpunt Romani, omniaque ferro & flamma vastant.

ANNO MUNDI 4074. Æræ Vulgaris 71.

Hierosolymorum Urbs solo æquatur; sed iterũ excitata Ælia Capitolina appellatur.

XXII. Postquam vero quos occideret, quidve raperet, non habebat exercitus, Urbem totam & Templum funditus everti, & complanari jussit Titus, tribus tantum relictis turribus proceritate, & structura ceteras superantibus. Turres illæ fuerunt Phasaelus, Hippicus, & Mariamne, quarum primam ad perennandam Fratris, alteram Amici, postremam uxoris memoriam Herodes Magnus ædificandas curaverat (*a*). Has autem intactas voluit Titus cum urbis magnificentiæ, & fortitudinis, tum Romanæ virtutis tantam urbem expugnare valentis, monumentum relinqueretur. Ambientia pariter occidentale urbis latus mœnia relinquere præcepit, quo ceu vallo copiæ ad regionis custodiam relictæ uterentur. Reliqua omnia æquata solo. Vomerem etiam a victoribus per solum excisæ urbis, vel saltem Templi aream, traductum fuisse, recepta apud Judæos traditione vulgatum est (*b*). Quod sane ultimum exhibet deso-

(*a*) De Bello l. 7. c. 1. pag. 321. In Euseb. Chron.
(*b*) Scalig. Isagog. l. 3. p. 2112.

desolationis argumentum; loca enim vomerem ita passa, ex Romanorum Legibus, nemo sine jussu Senatus restituere poterat. Hæc tamen sub Adriano circa annum Christi 135. potius contigisse crederentur. Iste namque Imperator premendis Judæis, continendisque in ordine, statuit mittere coloniam Hierosolymam, Templumque ibi Jovi sacrum excitare. Judæi autem hæc indigne ferentes in defectionem declinarunt. Ita animatis stimulos adjecit Barcochebas, qui circa illam ætatem Messiam se credulis approbabat. Tinnius Rufus, qui tunc versabatur in Judæa, ductis adversus seditiosos copiis, ingenti quidem clade illos affecit, sed non sine magna suorum strage. Quare jubente Adriano venit in illam expeditionem e Britannia Julius Severus, qui obsessa Bitter, vel Bethoron, tuto Judæis effugio, ac tandem capta, tantam hominum cædem edidit, ut multo plures e suis desideratos dicant Judæi, quam qui ex Ægypto pedem retulerunt. Secundum hæc, Adrianus manum urbi Hierosolymæ restituendæ admovit, non tamen eodem loco, quo vetus Hierosolyma, sed magis Occidentem versus & Boream, in monte Calvariæ, ubi Christus mortuus est. Novam urbem Adrianus *Æliam Capitolinam* appellavit: Ælia dicta est de familiæ Adriani nomine; *Capitolina* vero, quod Jovi Capitolino consecraretur. Tunc vertere solo Judæos omnes coegit, latis edictis vetans ne deinceps unquam regrederentur. Quin uni ex illius urbis portis porcum insculptum

voluit, significans, Romanæ potestati subjacere Judæos (*a*); vel potius animalis specie Judæis summopere invisi, ipsorum urbem prophanaturus (*b*). Grandi pecunia Judæi redemerunt libertatem non quidem Hierosolymam repetendi, sed prospiciendi tantum e vicino monte, plorandique ejus casum & exterminium (*c*). Ea occasione factum dicunt, ut Tinnius Rufus aratrum duxerit super locum, qui olim Hierosolymitano Templo superbierat. Utcumque res habuerit se se, Christi oraculis sua fides mansit, qui Templi ædificium demirantibus Apostolis, futurum dixit, ut hostium furor, ne muris quidem tantæ molis parcens, omnes funditus everteret: *Non relinquetur lapis super lapidem* (*d*). Non ita tamen eversa tunc Hierusalem creditur, ut aliquid non restaret incolis, sive dejecta urbis rudera incolentibus, sive cum Romano milite, a Tito ibi relicto, admixtis, sive novas sibi casas in urbis locis fabricantibus.

XXIII. Hoc Hierosolymorum exitium fuit, urbis inter orientales omnes celeberrimæ. Duobus collibus insidebat, montiumque corona cingebatur. Solo erat petroso, & sterili. Suburbana illius Gehon, & Siloe irrigabantur, ac torrens Cedron, & aquæ Ethan, *Hierosolymorum descriptio.*

 quas

(*a*) Hieron. Chron. not. Euseb. n. 2152. Virg. l. 8. v. 33.

(*b*) De la Bastie, annotazioni sulla scienza della Medag.

(*c*) Hieron. in Sophon.

(*d*) Matth. XXIV. 2.

quas Pilatus per aquæductus in urbem induxit, mœnia alluebant. Vetus urbs, quam David ex Jebusæis reduxit, angustis pomeriis claudebatur, quippe quæ montem ad meridiem Templi tantum complectebatur. In monte Sion e Regione ad Septemtrionem opposito, David novam urbem construxit, suo nomine appellatam, in qua Domus Regia, & in Moria, parte ejusdem montis, Templum Domini erecta sunt. Inter hosce duos montes vallis Mello jacebat, quæ olim veterem urbem Jebus, & civitatem David disterminans, tandem curante David, & Salomone, aggesta humo completa, duas urbes conjunxit (*a*). Post Regnum Manassis occurrit nova urbs, nomine *Secunda*, quam idem Rex mœnibus cinxit (*b*). Machabæi deinde, quibusdam adjectis, a Septemtrione præcipue, illam produxerunt, adeo ut alium tertium collem complecteretur (*c*). Quartum denique collem nomine Bezetam, ad Septemtrionem Templi, secundum torrentem Cedron, Agrippam addidisse, & mœnibus ambire cœpisse, Josephus narrat. Quare urbs Hierusalem numquam amplior fuit, quam cum a Romanis obsessa est, quippe quæ tunc temporis 33. stadiis circuibat.

Titus victoriam Deo attribuit.

XXIV. Cum Titus capta urbe omnia circum loca cadaveribus complevisset, finitimæ gen-

(*a*) 3. Reg. IX. 19. 24. & XXXIII. 14. & 4. Reg. XI. 27. XXII. 14.
(*b*) 2. Par. XXIV. 22. (*c*) De Bello l. 5. c. 6.

gentes ob victoriam eum coronare voluerunt; ille vero se tali honore indignum respondit: non enim se fuisse talium operum auctorem, sed Deo iracundiam suam contra Judæos demonstranti suas manus præbuisse (*a*). Habentur tamen Titi numismata trophæo, & quadriga triumphali insignita, ut & Vespasiani, cum mulieris effigie mæstæ sedentis sub palma, & inscriptione: *Judæa capta S.C.* Titus relicta in urbe legione, Duce Terentio Ruso, cum ineunte jam hyeme Romam adnavigare intempestivum videretur, varias Syriæ urbes peragrans, variis populos oblectatus est spectaculis, in quibus multi captivi consumpti sunt, alii bestiis objecti, alii autem catervatim more hostium inter se depugnare coacti.

XXV. Hierosolymis interim e Cloacis, in quibus latitabant, emergentes Joannes e Giscalis, & Simon Gioræ filius capti sunt. Et Joannes quidem oppressus fame cum fratribus in Cloacis, quam sæpe despexit, a Romanis dexteram sibi dari precatus est. Simon vero fame pariter adigente e latebris emergens, candido habitu, atque pallio purpureo inter Templi rudera spectandum se præbuit, sperans se prodigii novitate attonitos Romanos elusurum. Neque primo intuitu consilio suo frustratus est; cum enim ejus aspectu subito obstupescerent Romani, primo quis esset, interrogarunt. Nomen ille pandere recusans,

Joannes & Simon triumpho reservantur.

V 2

(*a*) Philostr. in vita Apollon. l. 6. c. 14.

ſans, acciri Terentium Copiarum Ducem, præcepit. Veniens igitur Terentius virum agnitum vinculis oneratum ad Titum Cæſaream miſit; quem Titus una cum Joanne e Giſcalis, ut ſuum de Judæis triumphum illuſtraret, reſervavit.

Veſpaſianus & Titus triumphant. *Mortuorū numerus.* XXVI. Cum autem Titus Ægyptum petiturus Hieroſolyma pertranſiret, miſerum urbis ſtatum illacrymatus, in auctores ejus deſolationis, qui alienum ſe ad id impulerant, dira imprecatus eſt. Alexandriæ tandem navigium conſcendens Romam ad triumphum venit, quod una cum Veſpaſiano egit. Inter relata ſpolia, menſa etiam aurea, candelabrum pariter aureum, & Legis volumen deferebantur. Idem Legis volumen, & vela purpurea, quæ uſibus Templi ſervierant, in Palatio ſervata ſunt; vaſa vero aurea Templo Pacis, a Veſpaſiano conſtructo, deſtinata. Extat adhuc Romæ ad radices montis Palatini arcus triumphalis marmoreus, in quo inſtrumentorum Templi in eo triumpho traductorum ectypon videtur. Pompam triumphi auxerunt Joannes e Giſcalis, & Simon Gioræ filius, cum 700. Judæis, qui robore & forma ceteros præſtabant: ex quibus ſolus Simon, Barpores a Dione dictus, capite plexus eſt. In ipſo obſidionis Hieroſolymitanæ ſemeſtri, ex Joſepho 1100000. Judæorum perierunt. Captivorum vero numerus ad 97000. aſcendit. At eorum, qui extra illam obſidionem per totum ſeptennium, quo bellum Judaicum exarſit, interierunt, ex eodem Joſepho indicem

cem

cem exhibet Justus Lipsius (*a*), qui 1337490. conficit; inumeris præterea aliis omissis, qui tota regione fame, exilio, miseriis perierunt.

XXVII. In Judæam Legatus missus Lucilius Bassus castellum Herodion deditione accepit; moxque Macheruntem ultra Jordanem oppugnans, illud tandem cepit. Interim Vespasianus datis ad Tiberium maximum Judææ Procuratorem literis, jussit, ut totam Judæorum terram venderet. Stipendium etiam Judæis ubicumque degerent, indixit, & didrachma singulis annis deferre in Capitolium jussit, quod antea Templo pendere solebant. Mortuo autem Basso Publius Silva illius successor, inexpugnabilem arcem Massadam in Tribu Juda, ad occidentem maris mortui, in prærupto saxo erectam ab Eleazaro, Judæ Galilæi nepote, sicariorum duce, tunc occupatam, die 15. Aprilis anni Mundi 4076. vi tandem expugnavit. Cum Eleazarus hostium impetum sustinere diutius non posset, Judæos socios ad mutuam occisionem hortatus est, ea conditione, ut qui ceteris superstes fuisset, arcem incenderet. Consilium facto probatum est; cujus rei totam historiam duæ feminæ in aquæductis cum propriis filiis latentes, mane ad Romanos detulerunt. Atque ita omnes belli Judaici reliquiæ sublatæ sunt, totaque Judæa est pacata.

ANNO MUNDI 4076. Æræ Vulgaris 72.

Reliquiæ belli Judaici delentur.

XXVIII. Sicariorum multi e Judæa dilapsi, & in Ægyptum profugi, Alexandriam venientes,

Templum Onion clauditur.

(*a*) De Constant. l. 2. c. 21. Usser. ad an. 4076.

tes, Judæos ad defectionem sollicitabant. Multi quidem ex illis supplicio affecti sunt. Ut autem ceteris conveniendi, suaque studia promovendi ansa amputaretur, Vespasianus jussit Lupo, Alexandriæ tunc Rectori, ut Templum Judæorum, quod ab Onia, summi Judæorum Pontificis filio, olim conditum, Onion dicebatur, dirueret. Sed Lupus ablatis tantum quibusdam donariis Templum claudere contentus fuit. At Paulinus ejus in administratione successor, omnibus expoliatum, clausis foribus, ita inaccessum fecit, ut ne vestigium quidem Religionis isthic remanserit. Narrat Eusebius ex Egesippo (a), viros omnes ex genere Davidis sedulo conquisitos, ad se perduci Vespasianum jussisse, ut illis sublatis, defectionis, & restituendæ Monarchiæ ansam omnem Judæis amputaret; illustre tamen genus, eo etiam invito, mansisse, quamquam ejus jussionibus diligentissime pareretur.

Agrippa Judæorum excidio superstes.

XXIX. Agrippam, Regum Herodianorum ultimum, Regni sui incrementum a Vespasiano accepisse, Justus Tiberiensis apud Photium (b) significat. Prætoriis quoque honoribus auctum eum fuisse, docet Dio. Post Judæorum casum, Romæ in Palatio degens, cum sorore sua Berenice paulo liberius vixit; quod probrosis in utrumque dicteriis causam dedit. Titus etiam ita feminæ illius amore fla-

(a) Histor. Eccl. l. 3. c. 12.
(b) Cod. 33.

flagrabat, ut nuptiarum ei ſpem fecerit; cum tamen intellexiſſet, Populum Romanum id moleſte ferre, eam dimiſit. Tandem Agrippa, quem nonnulli, haud ſolida conjectura ducti, ad Chriſtianos tranſiiſſe opinantur (*a*), Romæ obiit ſeptuaginta circiter annos natus (*b*).

(*a*) Vide Chryſoſt. hom. 52. in Acta, Gagn. Salmer.

(*b*) Tillem. de Judæor. ruina ar. 88.

FINIS

TOMI QUINTI.

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio. Paolo Zapparella Commissario del S.Uffizio di Venezia nel libro intitolato: *Historia utriusque Testamenti auctore Carolo Antonio Erra*: *Tom.* 8. Non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Publiche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 11. *Maggio* 1755.

(Z. Alvise Mocenigo 2. Rif.
(
(Marco Foscarini Kav. Proc. Rif.

Registrato in libro a Carte 6. al Num. 40.

Giacomo Zuccato Segret.